



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

Liber Tertivs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

JOANNIS ALPENI
 PRÆPOSITI SANTENSIS
 De
 VITA ET REBUS GESTIS
 CHRISTOPHORI
 BERNARDI
 EPISCOPI ET PRINCIPIS
 MONASTERIENSIS.
 LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

1. **C**HRISTOPHORUS BERNARDUS
 spargitur cum Domo Brunsvicensi
 fœderatus. Quâ occasione. Angur-
 tur ex eo Monasterienses. Eorum
 sermones. Nonnullorum vota.
2. *Armatam Princeps vindictam meditatur. Stra-
 tagemate.*
3. *Tentatur Civitas. Sed irritò effectū.*
4. *Turbatâ Civitate. Ad Clerum & Officiales
 scribit Princeps. Explicato milite urbem cin-
 git.*

git. Nonnulli è Clero ad Principem ablegantur. Rector Collegij Societatis pro reu intercessor.

5. Non tamen ideò placat plebem. Iratam. Timidam. Seditiosam. Falsi rumores per Urbem sparsi. Quorundam audacia.

6. Maturantur tractatus concordia. Instante Duce Neoburgico. Reclamat Plebs. Eiusdem sermocinationes. Senatus conatur Plebem mollire. In Castris alij arma. Alij pacem suadent.

7. Pactio Schoneffitana.

8. Principis in Urbem ingressus. Solennis gratiarum actio. Plebis diffidentia & criminationes. Augentur à Rescripto Casareo. Cui & alterum supponunt. In cuius authores inquiritur.

9. Principis in Civitatem benevolentia. Constans Plebis alienatio. Principis querela de non servatâ pactione Schoneffitana.

10. Mallingerotius privatatur Decanatu. Eligitur Brabeckius Decanus. Chisius fit Pontifex.

11. C. B. febricitat. Restitutus Wolbecam indicit Comitia. Monasterienses antè tractant de educendo milite. Qui tandem ex Vrbe educitur. Petunt Vierdenhalvium absolvi. Sed Princeps juxta privilegium Patrie arbitrorum electionem offert.

12. In Comitiiis decernitur tributum Accisiarum. Reclamant Civitates.

13. Monasterienses recusante Staalio, ablegant Vierden-

- Vierdenhalvium *Viennam*. Princeps prae-
mitit Fürstenbergium. Eâ Monasteriensium no-
vitate. Et magis Praefecti creatione. Ac
militum authoratione offensus.
14. *Armorum Suecicorum apparatus*. Angit Neo-
burgicum. Excitat Monasteriensem. In Po-
loniam convertitur.
15. Princeps à Monasteriensibus aversus. Arcis
extruccionem alibi meditatur. Eligitur Coes-
feldia. Isthic arx extrui capta. Quando.
Et quâ formâ. Querelæ Coesfeldiensium. Aca-
demiarum responsa. Exempla aliorum. Rufius
opus probat. Appellatum Ludgeriburgum.
16. C. B. celebrat Synodum Generalem. Wieden-
bruckius ablegatur Francofurtum. Caesar
Commissarios nominat Moguntinum & Tre-
virenses. Item Osnabrugensem & Neobur-
gicum. Fürstenbergius abit Romam. Redeunt
Vierdenhalvio intercluduntur viae.
17. In Comitibus continuatur Ordinum dissensio.
Querelæ Civitatum. Ex immunitate villa-
rum auctiores. Vierdenhalvius Susati arresto
detinetur.
18. Principes Commissarij partes Coloniam evo-
cant. Eo ablegatur Wiedenbruckius. Diffi-
dencia Monasteriensium. Suppetia contra
Condæanos Leodium. Electio Magistratus
Urbici. Anniversaria Urbis tentata dies.
19. Vierdenhalvius arresto solvitur. Reducitur Mo-
nasterium. Rumor de reditu Mallingerotij.
20. Congressus Coloniensis. Dissolvitur infectâ re.
Princi-

Principes fœdus extendunt. Monasterienses Drachterum & Witteldium. Princeps Wiedenbruckium Viennam ablegat.

21. *Pontificis epistola ad Episcopos Germania.*
22. *Impositio primi lapidis arcis Coesfeldiensis.*
23. *Monasterienses petunt Urbem suam immediatam declarari. Sed rejiciuntur.*
24. *Pestis Monasterij. Vienna super jure praesidij agitur. Decretum Caesaris. Utraque pars pro se interpretatur. Princeps Wittenbergio Praefecturam Urbis renunciat. Vogelius a Monasteriensibus relegatur.*
25. *Principes Confœderati de fœdere cum Batavis agunt. Monasterienses implorant Urbes Hanseaticas. A quibus remittuntur ad Batavos. Aitzema illorum Patronus. Mittunt suos Hagam-Comitis. Eorum propositio.*
26. *Principis dehortatoria ad Civitatem. Eiusdem exprobatio cum Urbibus Hanseaticis.*
27. *Drachterus redit Monasterium. Wilichij oratio apud Batavos adversus conata Monasteriensium. Quid replicet Eorum Patronus.*
28. *Confœderati Principes ablegant suos Hagam. Eorum propositio. Tractatur negotium fœderis. Abrumpitur.*
29. *Interpositio Nobilitatis in causâ Monasteriensi. A Monasteriensibus protrahitur. Comitia Monasteriensa. Drachterus iterum abit in Hollandiam. Tribunalia transferuntur Dulmaniam.*
30. *Mal-*

30. Mallingcrotius in Westphaliam redux. Frustra tentat intrare Monasterium. Capitur & ducitur Ottensteinam.
31. Vicariorum Imperij littere ad Civitatem. Princeps evulgat libellum contra Eandem.
32. Principes confederati suadent obsidionem Civitatis. Drachterus capitur. Frustra Civitas Eum repetit. Sed plures in Urbe attingit. Princeps ad obsidionem parat se. Monasterienses ad defensionem.
33. Civitas obsidetur. Principis postulata. Responsio Monasteriensium. Suos mittunt in Hollandiam.
34. Civitas tormentis infestatur. Nova Principis postulata. Obsessi firmant se magis. Erumpunt.
35. Littere Vicariorum ad Principem. Ad eos ablegatur Furstenbergius. Obsidio difficilis.
36. Conventus Nobilium. Eorum querela.
37. Responsum Principis. Nobiles resumunt tractatus cum Urbe. Principes confederati hortantur Civitatem ad deditionem. Respondet Civitas.
38. Batavi offerunt interpositionem. Nobilitas urget compositionem. Hanc spes auxilij Hollandici protrahit.
39. Tentatur porta Horstiana. Sed frustra. Oppugnatur propugnaculum Asperi Collis. Cedit Hordeckius. Ejus laus.

40. *Vespera Lambertina Monasteriensibus tristes. Alper Collis iterum oppugnatur. Iterata postulata Principis. Propositio Nobilitatis. Nuncius ex Hollandia.*
41. *Principes Confederati moram exprobrant Militia Praefectis. Iterum scribunt ad Civitatem. Et Moguntinus Legatum mittit.*
42. *Urbs ex alterâ etiam parte oppugnari cepta. Batavis se moventibus. Compositio urgetur.*
43. *Legatio Batavorum. Eorum propositio. Responsio Principis.*
44. *Legati abeunt Steinfeldiam. Wilichius Hagam. Batavi docernunt armatam interpositionem. Id Principi & Confederatis denunciant.*
45. *Princeps prevenit. Et conventam Urbis deditioem admittit. Ejus capita.*
46. *Finis obsidionis. Principis in ea virtutes. Civium constantia & incitamenta.*
47. *Concursus externorum ad contemplanda opera. Princeps ad Legatos Nagelium mittit. Legati Monasterium intrant. Lantè habentur. Eorum oratio. Senatorum responsio.*
48. *Legati Steinfeldiam revertuntur. Inde iussi Principem Wolbecæ salutant. Et cum suis Hollandiam repetunt.*

Quo

1654.

Christo-

phorus

Bernar-

dus spar-

gitur

fœdus cū

Brunsvi-

censibus

iniisse.

Qua oc-

casionē.

Quo tempore *Christophorus Bernar-*
ardus agente *Furstenbergio Co-*
lonia cum Principibus *Rhena-*
nis in eas, quarum jam memini-
 mus, fœderis leges cōibat; alterum etiam
Osnabrugi cum *Brunsvicensibus* pacifici
 ferebatur, operā *Brabeckij* majoris *The-*
saurarij, quem cum *Nicolao Drachtero*
Jurisconsulto isthuc abegarat. Jam pri-
 dem enim *Monasteriensi Episcopo*, & *Du-*
cibus Brunsvico-Lunaburgicis, *Cæsaris* au-
 thoritate, componendis ex *Juliacensi* suc-
 cessione identidem natis, *Electorem Bran-*
denburgicum inter & *Ducem Neoburgi-*
cum controversiis, potestas data erat. In-
 dicto per hos dies ad eum finem *Osn-*
abrugi congressu, inter *Judicum* & partium
Legatos, hac super re tractabatur. Occa-
 sionem hanc nactus *Christophorus Bern-*
ardus ad conservandam *Circuli Westpha-*
lici quietem cum *Principum istorum* *La-*
gatis super defensionis fœdere tractari julle-
 rat. Sed quod instructionis defectum ob-
 tenderent, nec satis æquè inter membra
Circuli conveniret, aliæque ex aliis quo-
 tidie difficultates orientur, frustrato &
 fœderis & compositionis successu, re utrinq;
 infectâ, domum rediére. *Monasteriensi-*
bus interim pacta nihilominus cum *domo*
Brunsvicensi confœderatio credebatur.

1654.

Et quanquam peritiores secus probabant; imò si & admitterent, inter eam Suecicorum armorum præparationem, non aliò, quam ad mutuam defensionem, & utriusque Circuli, imò Germaniæ totius securitatem spectare. Auxit tamen ea fœderum ac bellicorum apparatus fama Monasteriensium suspicionem, existimantium in speciem dici cætera, interim sibi verosimilius hanc fabam cudi: præsertim quod per eos dies colloquium *Coesfeldia* inter *Christophorum Bernardum* ac primores Collegij Cathedralis, magni alicujus consilij capessendi gratiâ, adversus Civitatis factiones institutum plerique opinarentur: imò nec pauci affirmarent in eo Principem armatam decrevisse Urbis obsidionem, pœnas exacturum ab iis, qui re vel consilio nuperam adjuvissent, aut certè dissimulassent seditionem. Hoc solum sine numerosum adeò militem conscribi. Impostorem esse, quisquis civi conetur secus persuadere. Si quæ publica enim calamitas aut externo forsan ab hoste periculum timeretur, istiusmodi certè cura vicinos æquè Principes tangeret; quos tamen constaret à cogendis militibus se prorsus continere. Ita asseverare, qui *Paderbornâ*, *Osnabrugo*, *Coloniâ* redirent. Nihil interferebant alij aufurum hodiè Principem, quantumvis in civium perniciem ultrò proclivis

Anguntur ex eo Monasterienses.

Eorum sermones.

Q

clivis

1654.

clivis esset: Comitem quippe *Koningsmarckium* in Ducatu *Bremensi* Suecicarum copiarum Ducem, si quid adversus Monasterienses tentetur, abundè militem & arma polliceri, dominantì huic factioni ad eò intentum, ut per emissarios quotidie plures ad audendum sollicitare spargatur, & Batavos etiam auxilium propius ostentare. Apertiores nonnulli haud improbari posse volebant Civium vota, si externis ita viribus dispelli aliquando contingeret invisum ad eò praesens Ecclesiasticorum regimen, à quo nihil aequè ac Civitat's ruinam intendi palam esset. Nec aliò spectare, quod utrumque Sacrum ac Civile Dicasterium, Principis jussu, *Coesfeldiam* evocatum cum suis administris jam tum emigrarit, quam ut mercatura, ut lucra, una cum iis transferantur, & civis illà dicundæ, agendaque libis facilitate, domus habitatore, vectigali Civitas exuatur.

1655.

2.
*Armatâ
Prin-
ceps
vindicatâ
indita-
tur.*

Inter verbosas istiusmodi velitationes vertente se Anno post millesimum sexcentissimum quinquagesimo quarto, suspensus circum hærebat Orbis, quid actionum & scenarum tandem theatrum illud Westphalicum exhiberet. *Christophorus Bernardus*, cum Principum ferè omnium oculos in se conversos notaret, ad armatam existimationis læsæ vindictam, invito licet atq; oblucente animo, pertrahi se testabatur. Nihil enim hætenus, vel dissimulatione,

vel voluntate pœnarum, effectum aliud, quam ut auctoritatem sibi, metum subditis ademerit. Profectò famæ ac patriæ causam malè sibi cordi fore, si horum pervicaciam, nimiam quotidie indulgentiam invalescentem, novissimis aliquando exemplis non coërceret. Itaque jam certus animi armis ulcisci injuriam, de modo cum paucis deliberat. Expensam obsidionis difficultate, si sine pugna, sine cæde & sanguine scopus obtineri posset, facilè præplacuit stratagema. Incitamento erat *Bevergerna*, ita triennio ferè abhinc feliciter recuperata, & *Hervordia* Civitas, quam in Comitatu suo *Ravensbergensi* Elector Brandenburgicus non ita pridem astu persimili suæ fecerat potestatis. Igitur rem hoc modo conficiendam secretò concludit.

Non quidem obsidione, sed stratagemate.

Ex audacioribus, veteranisque eligendi equites circiter quindecim, sedecimve, qui successivis diebus, viisque diversis, ac sparsim civitatem intrent, ne simul, semelque juncti, suspicionem pariant. Die stratagemati constituta, sub auroram, egressu ad divæ Virginis portam, dum illa recluditur, simulato, excubias (nam pauci illic agitare consueverant) aggredientur; bini interea portam conscendent, curabuntque, ne præcipitis cataractæ, aut inferioris catenæ obstaculo, advolaturus ex

Q 2

agro

1655.

agro suburbano eques, ab ingressu Civitatis arceatur. Equitum, peditumque circiter mille in vicinos urbi hortos, insidiis perquam idoneos, inducendi. Excubiis, portisque ex improvise præoccupatis, in Urbem uno conjunctim impetu irruent, eques plateas, præcisus ubique cætenis, infestas reddet; pedes valla extemplo conscendet, tormenti explosione abditos adhuc commilitones ex hortorum latebris accituros. Sic urbe non expectato impetu, terroribusque percussâ, sine sanguine jam penè captâ, facile potituros. Theodorus Hermannus *Nagelius* aulæ Magister, & Legionis equitum tunc Protribunus, designatur stratagematis futurus actor.

Tentatur

Civitas, Ergo re sic institutâ, aderant jam
operâ Nonæ Februarij, divæ *Agatha* sacra &
Nagelij. astui destinata dies. *Nagelius* intra Ur-
5. Febr bem cum suis jam antè præsens, pridè
sub vesperum Consulem interpellat, ut sibi
ad Principem, ex urgenti causâ manè pro-
ximo properanti, porta divæ Virginis pau-
lò maturius referetur. Consul, erat is

*Consule**Tim-**mer-**scheidio.*

Joannes *Timmerscheidius* vir suoapte in-
genio humanus, nec doli quidquam sub-
esse ratus, amicitiaè libenter id tribuit, &
prompeam *Nagelio* obsequium Urbico

Metatori mandat. At verò albescente

Qui præ- nondum luce, ad eandem portam nonne-
monitus mo

mo festinus accurrit, mediam partem nudus, stentoriâ, sollicitâque voce excubias inclamans, *multum advolare militem, rectâq; Urbem petere, atq; ideo vigilem agi custodiam, si quidem indemnes se velint, serio monet.* Rogatus quisnam esset, nolle se nunc innotescere respondens, multò quàm venerat, celerius aufugit. Juvenis erat, qui vicino tunc Curioni Leproforum famulabatur. Monitus eo super nuncio Consul, non antè, quàm illucescat, portas jubet recludi.

Nagelius interim, horum ignarus, primariam in Prætorio stationem jam secundùm interpellârat, ut portam Marianam aperirent, discedendi enim necessitate se premi. Et quanquam obstare Consulum mandata respondebatur, urgente tamen importuniùs egressum, sub auroram, nec antè, porta recludi jussa est, jussusque Metator Urbicus (*Adjutantem* vocant) ex eminente vallo lustrare circum campos, laterentne forsan alicubi insidiæ. Hic igitur cum *Nagelio* progressus, dum aream Cathedralis Ecclesiæ transeunt, remotis arbitraris clam visus colloqui, pileo faciem tectus, ab inspectantibus, obviisque fortuitò civibus, quid, quòve vellet Præfectus aulæ, interrogatus, salutato cursim ærarij patriæ Præfecto, respondet *Dulmaniam* fortè petiturum: eosque festinan-

1655.
miliis
adven-
tum.

Portas
matu-
rius apo-
riri pro-
hibet.

Qua
tandè
aperiun-
tur.

1655.

238 CHRISTOPH. BERNARD.

ter prætergressus, dum ad alteram interea viam, quam equinam vocant, *Nagelius* equitans deflectit, ipse pedes per *Transaquense* cæmiterium rectâ cum clavibus ad D. Virginis portam contendit.

*Irrito
strata-
gematis
effectu.*

Subinde *Nagelius* cum suo jam comitatu isthuc etiam advenerat. Ex quo mox equitum alter, dum in officinâ fabri proxima, studio calceari equum curat, sublato clam ex eâ malleo, aptatis ad id palis, vicinius repagulum claudi vetat: bini verò rati cataractam esse, portam conscendunt, ejusdem casum præpedituri: sed nullâ isthic repertâ, fabroque ex usu mallei fraudem subolente tumultus jam ciebatur: reliquis interea ad postremam usq; portam (cætera enim jam tum erant reserata) illicò progressis. Ubi cives inter *Smitzius* quidam excubias agens, præ reliquis memor antelucani monitoris (quidquid Consulum jussa inclamaret Metator) egressum intrepidus remoratur. Equites igitur ubi conatum à fronte irritum, à tergo autem turbas, totâmq; jam concitati plateam Marianam conspiciantur, retrocedere maturant. Sed dum inde ad portam urbis confinem properant, interclusas ubiq; postibus ac catenis vias offendunt. Cumque civitatis propemodum turbata meditullium transire minùs expediret, eas inter angustias, Metator ereptis
è vici-

è vicinâ domo clavibus postes ocyùs recludit, ac demissis catènis, viisq; sic apertis per portam viciniorem, à *Judaorum campis* nominatam, festinantes dimittit, ignaris adhuc istius loci excubitoribus, quid ad Marianam contigisset.

Totâ nunc Urbe ad arma clamabatur, *Excitantibus* etiam fœminis tympana, ut *tur, tur-* inscium stratagematis civem, somnôque *baturq;* adhuc indulgentem properè concirent. *civitas.* Occupabat cuncta ubique pavor, Civitate ad repentinos illos clamores exterritâ: utque subita ac incerta quæque æstimari atrociora solent, mercatorum plerique direptionem mercium, populationemque veriti occludere sè, ac firmare domorum aditus, ab aliis aurum, argentumque ac pretiosa quæque occultari: *Societatis Patres* anxij, ne quid iterùm damni eos inter tumultus Collegium pateretur, à Senatu securitatem petere. Senatus autem ocyùs foras amandare emissarios, qui explorent rumoris veritatem: sed extemplò reversi obsessas circumquaque vias referunt, & numerosum per agros militem explicari; turbatis vel eò vehementiùs multorum animis, quò numerus incertior. Sub hæc *Metator* de proditione; aut veriùs collusione suspectus, jussu Senatorum in *tor urbi-* carcerem trahitur, forsân ut vel eò citius *cus in-* carceratur. *carce-* *ratur.*

Q 4

victus.

1655.

*Eius in-
nocentiã
testatur
Prin-
ceps.*

victus. Quando verò tantum fidei ac fortitudinis in *Smitzio* Cives ac Senatores comperissent, non destiterunt illam viri virtutem quamprimùm remunerari, condonato tributorum onere, oblatoque mox honestiori civiles inter centurias officio *Vicarij*. At Princeps, qui in arce *Schonenstianã* tunc morabatur, per os *Tubicinis* illicò Magistratui denunciavit, nihil ut adversi in Metatorem statuatur virum innocentem; idem secus in civem, quemcunq̃ foris deprehendi contingeret, pariter se decreturum.

*Scribit
ad Clerum
& Ministros
in Urbe
commorantes
facti ratio-
nem.
Sape numero
monitos abs se
Monasterienses,
ut in seditiosos,
præcipuè septimã
nuper Octobris
tumulentos
animadvertent,
neq̃ seditio-
num principem
Mallingerotium,
sacrorum
interdictione
corruptum,
diutius
foverent,
aut se, ac
ministros suos
calumniis
ultra & injuriis
vellicarent;
pleraq̃ contem-
nentes,
dignos abs se
judicatos,
quorum contumacia
armis*

Rumoribus, cursitationibusque dies aliquot civitas regebatur, nullo ferè non consternato. Princeps gnarus omnium, quæ in Urbe agebantur, quum agnosceret, obsessã jam illã, plerosque civium timidiùs agere, adjuvandam artificio hanc partem existimavit, scripsitque ad Clerum & Ministros in Urbe commorantes facti rationem. Sape numero monitos abs se *Monasterienses*, ut in seditiosos, præcipuè septimã nuper Octobris tumulentos animadvertent, neq̃ seditionum principem *Mallingerotium*, sacrorum interdictione corruptum, diutius foverent, aut se, ac ministros suos calumniis ultra & injuriis vellicarent; pleraq̃ contemnentes, dignos abs se judicatos, quorum contumacia armis

Et obsidione compescatur. Quamobrem edicere, ne quis consilio, armorum usu, aliâve ope fontes juvet, sed si abeundi facultas detur, ne cum reis luant innocentes, sibi, fortunisque suis consulant, & ocyus aliò se transferant relictâ civitate. Has litteras

suis ita tradendas commendabat, ne lateret civem, quo major inter illos anxietas nasceretur. Et commodum ad eum finem accidit, ut eodem tempore nonnulli civium, pro se, suisq; solliciti, sibi dari securitatem à Principe flagitarent, si forsan armatus urbe potiretur.

Sub hæc etiam miles vias obsidere iussus, Civitatem commeatu intercluserat; quodque apparatus ac machinæ in promptu essent, subindè aggressionem remotè ostentabat, cui facilitandæ ipsus æther fossis civitatis crassâ per eos dies glaciæ concretis, suffragari quodammodò videbatur.

Monasterienses re tam subitâ commoti potiori parte ad Principis clementiam confugiendum sentiebant. Quod autem Senatorum

plerique haud satis sibi fiderent, rogati primores è Clero ac Religiosorum familiis Schonestitum abierunt, offensum Principis animum promptâ Senatûs ac Civium obedientiâ lenituri. Verùm iis, cum audirentur, actutum oggessit Princeps; si quidem suam Monasterienses gratiam serio

*Expli-
cato mili-
te Ur-
bem cin-
git.*

*Nonnul-
li de Cle-
ro ad
Princi-
pem ab-
legan-
tur.*

Q5

percu-

1655.

Dein
alij e Sen-
natu &
Civibus.

Rector
Collegij
Societa-
tis pro
reis in-
tercedit.

Et præ-
terito-
rum con-
donatio-

percupiant, inter eam Senatorum ac ci-
vium frequentiam non defuturos, qui
præsentes se sistere & supplices ipsi clemen-
tiam experiri possint. Id ubi reduces ad
Magistratum ferunt, ocius è Senatu ac
Civibus gratiores quique designantur ad
Principem ablegandi. Qui & petitâ prius,
obtentâque fide publicâ, illicò *Schonesti-
tum* profecti, ad aures quidem Principis
admissi non sunt, sed ab iis, qui à con-
siliis intimis erant, seorsum auditi, doctiq;
Principis postulata, brevi ad Urbem redie-
re, Senatus ac Civium mentem super his
exquisituri. Quando verò Collegij Socie-
tatis Rector P. Hermannus *Busenbaum*,
vir prudentiâ & doctrinâ clarus, ad cætera
Principem velle intellexit, ut postquam
præsidium intrâ Urbem admissum esset,
quæstiones sibi adversus nuperæ seditionis
authores liceret instituire, nec averfos ab
eo reperiri Senatorum ac Civium animos;
præsenscens referendam in se ac Collegas
suos invidiam facti, spontaneâ legatione,
generalem noxarum veniam ob proximas
turbas, à Præsule supplex precatur. *Haud
dubie populum, quidquid deliquerit
contagione, deleturum acriori obsequio,
& vel ita cives multò minùs præsi-
dium detrectaturos. Nec diffidere se
Principem pro innatâ etiam clementiâ
tantò libentius condonaturum (pro
quo-*

quorum veniã operam se suam ac Societatis, aiebat, spondisse) quanto verius præter Principem, etiam se Patrem dici, non ignoraret. Exoratus ita Christophorus Bernardus in præteritorum oblivionem lubens descendit; dummodò reverentes in posterum, fidôsque subditos se fore stipularentur.

1655.
nem ex-
orat.

Sed parùm iratos pridem animos leniisse visa est ea Rectoris sollicitudo aut Principis gratia. Per eos namque dies nonnulli ad diripiendum Societatis Collegium, fugandôsque Jesuitas non rarò capta conferebant; nec enim urbem unquam pacatam fore, quamdiu turbidos istiusmodi aleret altercatores. Ex audaculis instabant alij, lustrandas esse Cathedralium aulas, forsân in latebris earum integros delitescere militum manipulos, atque ita ab insciis ignem fortassis in sinu foveri. Interim verò non pauci etiam trepidabant, securitatem rati pretiosa quæq; vel humo occultare, vel ædium sacrarum tectis abdere, sive ut incendiis ea subtraherent, sive ut invasorum, prædantiumq; manus, si civitatem opprimi contingeret, tutiùs declinarent.

5.

Non ta-
men ideò

placat
plebem.

Iratam

iuxta ac
timidã.

At multi paulatim à cognitã obsidentium paucitate audaciores, exutã superiorum reverentiã seditiosius agere. Hi implorandam Hollandorum opem, isti ad

Paula-

tim quò-

que sedi-

tiosam.

Succos

1655.

Suecos in auxilium pronos confugiendum suadere: nonnulli etiam paratas pro augendo Urbis praesidio pecunias offerre; multi fingere datas ad se litteras, forti ac securo animo essent, brevi & auxilium obsessis adfuturum, & obsidentium copiolas excitato alibi incendio facile distrahendas.

Falsi rumores per Urbem sparguntur. Nunc obsessam ab *Auriacis Bevergernam* conflagrare, conspici id ex turre *Lambertina*; nunc expugnatam à *Suecis Vechtam*, & *Halterenam* Oppidum à praesidio *Baravorum Wesaliensi* deditione captam, eorumque tria millia in subsidium Urbis properare; imò ipsum Principem tantæ jacturae & irriti successus impatientiam furere, nec ultra ferre alicujus conspectum, authoribus stratagematis implacabiliter iratum, receptui canere serò compelli. Alij vulgare, ab *Electo Coloniensi ac Brandenburgico* indictum jam *Monasteriensi* bellum; *Suecos* verò cum exercitu apud *Bremenses* ad eum finem collecto, in procinctu esse: nec abesse procul *Lichtensteinium*, Provinciale Teutonici Ordinis Commendatorem, Civitati amicum, cum numerosa armatorum manu. Quibus commentis, quod à variis eadem astruerentur, habita est vulgo fides, & vel eò major, quod à subornatis, publico etiam nomine ostiatim aliqua confirmarentur, quò facilius multitudinis animos

mos inopinâ obsidione abjectos, fictâ, quamdiu non poterant verâ, adversantium clade sustentarent.

At vero effrontes nonnulli etiam ausi majora, collatis antè capitibus, non semel in Curiam furiosius involare, ac superbè comminari Senatoribus, si quid inconsulto Cive cum Principe transigant, è Senatu neminem salvis ossibus abiturum. Et eadem pluries audaciùs objectabantur. Ita gliscente in horas malo, impar multitudini Senatus, trepidùsque, tantò nitebatur studiosius populum demulcere; quantò dolebant seriùs medicinam parari, qui principiùs obstare neglexerant.

Nihilò-tamen minùs quotidie Schonefitum se conferebant Senatores, cæteri; Delegati, ad controversias aliquâ tandem ratione sopiendas. Atque ipsi etiam Principi, ad subditorum commoda perattento, serium erat concordiam maturare, præsertim quod crescente indies metu à Suecorum copiis, utriùsque interesset conceptæ jam compositionis telam absolvi. Urgebátque missis subindè Cursoribus instanter finem Neoburgi Dux Philippus Guilielmus, ne fortè illam inter perdurantis diffidij moram, irreparabili partium damno, loci istius Suecia potiretur.

Jámque eò res deducta erat, ut habito placitorum utrinque consensu, legi-

1555.

Quorumdam audacia.

6.
Maturantur tractatus concordie.

Instante Duce Neoburgico.

Reclamat plebs.

1655.

246 CHRISTOPH. BERNARD.

*Ejusdem
sermoci
natio-
nes.*

timæ pactorum tabulæ ab utrâque parte
subsignarentur. Sed hoc ipso tempore
quorundam factiosorum per Urbem cur-
sitantium iniquitas effecit, ut eorum con-
siliis obfirmati Cives, mutatâ sententiâ
decernerent, neque Principem neq; præ-
sidiarios ad Civitatem admittere, nisi in
alias, quas ipsi præscripturi essent, con-
ditiones abiretur. Sibi enim jam explo-
ratum, ab eâ oppugnantium paucitate,
damni nequidquam aut periculi timeri
posse. Quid, quod eâ paucorum manu
irruptionem minari ausint, magis admi-
randum quam gloriosum. Non eam
esse Civitatis, mœnibus, vallis, fossis adeo
munitæ debilitatem, ut istæ militum co-
piolæ æstimari debeant. Et quid opis
allatura imbellium illa, mixtâque invi-
torum agrestum phalanx? ipsas fortè
fossas, si virgultorum fascies defint, eo-
rum aggestu corporum exæquari posse.
Aliam esse animosi cujusque civis men-
tem, certè parati, promptique salutis Ur-
bis, suæque ac posterorum libertati &
vitam & fortunas generosiùs immolare.
Internæ vires impares si fuerint, promp-
ta esse subsidia exterorum. Nec enim
permissuram Batavorum, aut Suecorum
vigilantiam, ut rebus suis opportunam
adeo occasionem elabi sinant. Satiùs
esse cordato cuivis Civi, horum opem
Episco-

Episcopali jugo anteferre. Nota sibi Principis ac Capitularium consilia, qui post occupatam militibus civitatem, pro arbitrato acturi sint cum eâ, arcemque valido cum præsidio imposituri; quo jugo capti Monasterienses ea demum imperia patiantur, quibus Padibornam, Moguntiam, aliasque hujusmodi per Germaniam Civitates premi constaret. Hæc jam dudam præconcepta esse; DEI tamen beneficio, curaque Civium ac vigili hætenus sollicitudine frustrata. Injuriam æternam præfecto, infamiamque apud posteros, Nepotesque notam se incururos, si demum hodie ultrò ea concederent, quæ exantlatis tot laboribus ac molestiis, fidi Majores hucusque fortiter adeò conservassent.

Enimverò hoc vulgi tumultu indies crebrescente, Magistratus offensum magis eâ inconstantia, injuriæque Principem pertimeicens, singulis in Urbe Tribubus ex ordine Senatorio nonneminem adjungit, qui pro suâ apud multitudinem auctoritate, ad exuendam hujusmodi contumaciam, populum hortetur, & explicet copias obsidentium opinione majores, si deficerent, etiam quotidie à viribus Concederatorum nullo negotio augeri posse. Externum subsidium frustra expectari: Succos in Poloniã

7.
Senato-
res co-
nantur
plebem
mollire.

1655.

loniam moliri ; à Batavis damnoso nuper Anglorum bello implicitis , parùm profectò opis sperandum ; aut certè , si cuius spes esset , ex Religionis discrepantiâ nec ipsis decoram , nec salutarem fore. Persuaderent sibi , neutrum Imperio hostem se velle : vellet autem , quisquis Monasteriensem Principem cum tot aliis fœderatum lacefferet. Quem igitur , aut undè liberatorem adventurum ? Hominem esse malo publico facundum , quisquis contrarium suaderet. Et certè ad Principis famam spectare , obsidionem nunc , cum incæpta esset , non omittere ; & quibus non difficultatibus ex eo Civitas involveretur ? Quid si enim arctiore obsidione eam circumvallet ? commeatu intentiùs , commerciòque omni intercludat , machinis urbem quatiat , igne devastet , aut certè cives fatigando tempus trahat , quid non incommodi secuturum ? è contra Civi nunc ab inducendis præfidiariis non exiguam lucrispem offerri. Ideòque contumaciam ponant ac Principis indignationi , Urbisque ac patriæ excidio postulatorum haud iniquorum concessione prudenter antevertant.

In Castris alij arma.

Sed nec deerant in Castris , ipsâque aulâ , qui inter eam obsessæ Civitatis obstinationem , uti militari pollebant animo , ingenioque , arma & ultionem contende-

bant,

bant, unicum læsæ authoritatis remedium: obfirmatos plebis animos vi frangendos esse: diurnâ illâ facilitate ac clementiâ nihil aliud effectum, quàm ut Principi obedientia, perduellibus timor ademptus sit. Tormenta atque acies aggressioni parandas, sibi quidem promptum esse Urbem adoriri, & expugnari eam posse, plurimum etiam belli peritorum judicio, intra dies omninò paucos.

Alij pacem suam suadent.

At verò certantibus ita plurimorum utriusque consiliis, eorum tandem hortatu & operâ, quibus majori curæ Principem inter ac Senatorem, Populumque Monasteriensem concordia his demùm conditionibus ac tenore sancita est.

Tandem Principem in Urbem conveniunt.

Notum sit hisce, cum inter Celsissimum Principem ac Dominum D. Christophorum Bernardum Episcopum Monasteriensem S. R. I. Principem, Burggravium Strombergensem, Dominum in Borculo &c. ex unâ, & Consules ac Senatorem, nec non Tribunos-plebis ac Tribuum Magistros, totamque communitatem Civitatis sue Monasteriensis ex alterâ partibus, occasione quarundam per Bernardum Mallingerotium Cathedralis Ecclesie Decanum, (quem Celsitudo sua iam ante suspensum, irregulariter

8.
Pactio Schoneflitana.

R gulareno

1655.

gularum & excommunicatum denun-
ciaverat) in dicta Civitate Monaste-
riensi excitatarum Anno proxime lapsi
M. DC. LIV. inprimis vero die septi-
ma Octobris turbarum, commissorumque
excessuum nonnulla similitates ac dis-
sensiones enatae sint, & eapropter Cel-
situdi sua, quinto labentis mensis, ipsa
se huc contulerit, ac peditem, equi-
temque militem suum circum Civitatem
explicavit, quod hoc ipso die inter
altememoratam Celsitudinem suam &
predictae Civitatis, e gremio Senatus,
nec non Tribunorum plebis ac Tribuum
Magistris, totiusque communitatis, plenam
cum potestate deputatos, sequens trans-
actio, firmaque concordia intra, conclu-
saque sit. Primum Celsitudo sua ex pa-
ternam lenitate & clementiam, praevia
deprecatione, Civibus & Incolis secu-
laribus, eorumque prolibus ac familiis,
nec non omnibus officiatis ac militi-
bus, & quibuscunque, qui hucusque
verbo vel facto in his excessere, nemi-
ne prorsus excluso, cum prateritorum
oblivione, generalem noxarum conde-
nationem & amnistiam clementissime
impertitur. Contra Consules & Sena-
tores pro se ac universo populo Mo-
nasteriensi pollicentur ac promittunt,
secundum praestitum alias fidelitatis
sacra

sacramentum, in obligatâ devotione
 constanter se perseveraturos; quemad-
 modum & Celsitudo sua, dato tempo-
 re inaugurationis Civitati verbo be-
 nigne acquiescet. Secundum Celsitudo
 sua ingrediatur Urbem cum omni au-
 lico comitatu & octingentis peditum,
 equitum vero ducentis; e quibus qua-
 dringenti quinquaginta pedites & cen-
 tum equites, velut praesidiarii ad pro-
 ximum Comitium provinciale (quando
 super hoc porro tractabitur) in Civi-
 tate subsistent, iisque cohortium urba-
 narum altera, qua centum viros &
 quinquaginta numerat, ita adjungetur,
 ut peditibus sexcentis praesidium con-
 stet, qui unâ cum equitibus centum,
 stipendiis, servitiis; ac beneficio ligno-
 rum, ex communi patriae arario su-
 stentabuntur, ita tamen ut promutui
 proximo quadrimestri servitio ac li-
 gnorum sumptus Civitati denuo refun-
 dantur. Nihilominus dicta
 cohorti urbana erogatum stipendium ac
 servitia, uti haecenus ad futurum Co-
 mitium Senatui, ex arario Principa-
 tûs assignabuntur ac persolventur; nec
 illa sine Magistratûs praescitu, consen-
 suque extra Civitatem aliò transfe-
 retur. Et quoniam Consules ac Sena-
 tus Centuriam peditum, multo iam

1655.

252 CHRISTOPH. BERNARD

tempore, sumptu ~~Civitatis~~ aluerunt, eandem ~~ad~~ proxima Comitata (consuetudo posthac & Majorum more conscribenda) vicissim alent, stipendia solvent, nec eam ultra Celsitudinis sua consensus exauthorabunt. Porro miles praesidiarius & Principi & Civitati sacramentum dicit, eidemque una cum Civitate, portarum custodia, vallorumque committetur: Civitatis etiam porta, quoties Principi libuerit & necessitas postulaverit, debita cum veneratione reserabuntur. Cumque Celsitudo sua Generalem vigiliarum Praefectum Remuntium Urbici praesidij Governatorem designaverit, placuit pariter, ut idem Remuntius ad firmandam mutuam utriusque confidentiam, verbo viri nobilis, Urbi quoque fidelitatem spondeat, neque se Civitatis privilegia aut iura violaverum, sed eandem Principis, Patriae, & ipsorum Civium bono fideliter ac studiosè conservaturum. Quo passu Celsitudo sua etiam clementissime addidit, si Remuntium aut mori, aut mutari contingeret, non nisi cum praesentis Magistratus & praevio utriusque consensu, alteri cuiquam habili viro, urbana praefecturam militiae se collaturum. Consensit item, ut stipendium Governatoris, ejusdemque servitia, non minus, quam

totius

totius praesidii ex communi patria arario solvatur, nec Civitas extra cohortem unam, quam uti haecenus, ita & etiamnum suis impensis alit, magis gravetur, neque praesidium etiam absque mutuo tractatu, consensuque unquam augeatur; Quidquid demum inter Principem, Cathedrali Collegium & Civitatem superstitis controversia fuerit, aut in posterum erit unquam, id amica compositione, vel juris, nunquam vero facti via, seu armata manu terminetur; e contra Civitas quietam se ac reverentem spondet, nec ulli posthac Malingerotij causam cordi aut cura amplius futuram. Denique Ministros, militem & Civem inter concordia servetur, verbis, factisque pravaricantes severe puniantur. Ut autem transactio haec firmiter robur habeat, iam Celsitudinis suae propria manu, quam ejusdem, & Magistratus sigillis roborata est. In arce Schonesbitana Anno M.DC.LV. die XXV. Februarii. Praeter haec instrumento cuiusdam privato insertum fuit, ut Vierdenhalvius Civitatis Orator, priusquam de objecta se calumnia Principi purgasset, publicis congressibus, actibus, consiliis non interesset.

Ergo tabulis hunc in modum legitime confectis eodem die, erat Jovi la-

R 3

cer,

9.

Princeps
Urbem
ingreditur.

*Solen-
nem agit
gratia-
rum ac-
tionem.*

cer, Principem quam apparatusimo mul-
torum Nobilium comitatu, medium in-
ter equitum, peditumque centurias, Ur-
bem ingressum armati Cives, militesque,
festo scloporum plausu exceperunt, suaque
mox praesidia militibus designata sunt.
Posterâ verò luce in diem Lunæ se-
quentem supplicationem indicit Princeps
deferendi per aream Cathedrali corporis
Dominici, quam quaesitiore tunc ap-
paratu ac promptâ, & aulae, Senatorumque
frequentia peragi volebat, acturus solen-
ni gratiarum carmine supremo Numini
grates, quod Urbem sine praelio & san-
guine obsequio suo reddidisset. Dum
eam cum universo Clero, Nobilibus,
Ministris, Magistratu ac Juventute stu-
diosâ solennem Praesul agit, Cives secun-
dum ordinem armati vallum petunt, spe-
cie quidem diem armis honorandi, re
autem verâ prodicionem veriti. Mane-
bat enim pristina ferè populo diffidentia
& animorum à Principe abalienatio;
quam factiosi quidam in Urbe Domi-
nantes, nunc primum in Civitatem assul-
tum suscitando, nunc veteres adversus
Eum querelas extollendo, mirum alere
videbantur. Adhæc quo erga eum ani-
mo esse possint, qui post obtentam vel
vi, vel astu Civitatem, Cives omnes ad
eandem, eorum fortunas ad populatio-
nem,

1655.

nem, ipsam Urbem ad excidium designâ-
 rat, nisi post nonnullorum Civium fi-
 dem, tam execrandis consiliis divina bo-
 nitas intercessisset? nunc autem eo militum
 præsidio, specie tuendi sui ac patriæ,
 unicum libero Civi jugum meditari. Et
 quanquam per eos dies à calumniis absti-
 nere Civem Magistratus jusserat, tamen
 incitatos semel animos tanquam à cursu
 retinere difficile tunc erat; præsertim
 cum eodem tempore rescriptum Viennâ
 adferebatur, quo cum imperio mandabat
 Cæsar, ut quando Cives Præsuli suo fidos
 se fuisse, & futuros in posterum, quæque
 subditorum essent, facturos supplicarent,
 ab omni violentiâ abstineret Princeps,
 nec armis ultra molestaret Civitatem;
 controversiis, si quæ essent, Judicis ar-
 bitrio relictis. Mirum dictu, quantum id
 excitârit, stimulâritque animos eorum,
 qui præsentem statum ægrè intuebantur.
 Utque plures suam in partem traherent,
 factiosi quidam alteras clam subdunt Im-
 peratoris litteras, his diebus, quasi
 datæ essent, subdolè fictas, evulgatâsque
 quibus jussa militum missio, & atroces
 unâ in Principem, in Capitulares, in Mi-
 nistros injuriæ continebantur: quæ va-
 riis, dum plurimum calamis excipiuntur,
 commentationibus auctæ, omnem ferè
 authoritatem & benevolentiam Præsuli

*Frustrâ
 cohiben-
 te Magi-
 stratu.*

*Augen-
 tur à re-
 scripto
 Cæsareo.*

*Quale
 etiam
 alteruna
 & acer-
 bius sup-
 ponunt.*

R 4

ademe

1655.

*Inquiri-
tur in
ejus Au-
thores.*

ademerunt. In eos illicò litterarum Cæ-
saris adulteratores inquiri seriò Princeps
mandat. Verùm instituta quæstio brevi
remissa est, quod in unum omnes Civem
convenirent, qui facti culpam in alterum
rejecit, sacris initiatum. Ex festinatâ
utriusque absentia, an fugâ, fontes cre-
diti sunt. Et Clericus quidem fortè no-
centior, tametsi ex Ubiis hominem cul-
pârit facti authorem, Patria *Zutphanien-
sem*, sed ignotum, subindè vitam *Colo-
nia* monasticam amplexus pœnam, non
suspicionem subterfugit.

10.

*Princi-
pis in Ci-
vitatem
benevo-
lentia.*

Nihilo-tamea minùs omnigenam Ci-
vitati propensionem ostendere Princeps ;
Tribunalium, Aulæ, Concilij, Ministro-
rum, nè non seriò agere videretur, fami-
liarumque festinatum ad Urbem reditum
impellere ; Senatores quotidie ad pran-
dium, ad cœnam invitare ; de promul-
gandâ Studiorum Universitate, deque ex-
truendo in Urbe Episcopali palatio &
perenni habitatione, frequenter sermoci-
nari ; loca ipsi ædificio commodissima
inquirere ; quin & arbitros controversiis,
quæ inter Episcopos & Urbem fuerant
unquam, viâ meliore componendis, se-
cundum leges *Schonestitana* transactio-
nis nominare ; clementiâ denique, be-
nignis alloquiis, gratiisque demulcere ani-
mos Civium, ratus eo fiducia ac bene-
volen-

volentiaꝝ argumento paulatim quieturos.

At multi vanâ illâ humanitatis specie
haud se, aiebant, captum iri, dicta,
factâque Principis, uti subdola, crimi-
nantes; eo eventu, ut quidquid is ageret,
sive beneficentiam intenderet, sive remit-
teret, captis semel suspicione animis,
omnia secus interpretarentur. Adhæc

Metatorem Urbicum, quem collusionis
nuper reum egerant, carcer adhuc atti-
nebat. *Vierdenhalvius* etiam (quod

nemo alius, uti aiebant, peritior esset
controversiarum, litiúmque, super qui-
bus cum Episcopo tractandum erat) vix

tertio ab ingressu in Urbem die, ulitato
more ad Curiam vocabatur. Utrúmque

id compositioni *Schonefitanæ* aduersari
judicabat Princeps; Metatorem enim &
innocentem esse, & reum etiam solvi vin-
culis oportere, ex generali amnistia, ac

præteritorum oblivione mutuò pactâ,
Vierdenhalvium verò necdum hæctenus
purgâsse se, minùs objecta deprecatum,

adeóque à publicis tantisper congressibus
arcendum esse. Si tantus interea tamen

Vierdenhalvius illis videretur, posse cum
eo clàm conferri, in componendis autem
controversiis viros utrinque gratos palàm

negotiarî. Ne tamen ob virum unicum
conceptæ, captæque jam concordiaꝝ cur-
sus sufflaminaretur, injuriâ publicè diffi-

R 5

mulatâ,

*Constans
plebis
aliena-
tio.*

*Princeps
dolet
non ser-
vari pa-
tionem
Schone-
fitanâ.*

1655.

inulatâ, Princeps oblatae tunc, coram quibus purgare se *Vierdenhalvius* deberet, Commissariorum nominationi, dummodò supplex id peteret, tantisper acquievit.

II. Sub hæc institerat Procurator Fiscalis, ut cum acta litis ipsum inter & *Mallingcro-*
lingro- *crotium* Decanum aliquamdiu agitata,
tius pri- exterarum pridem Academiarum iudicio
atur subjecta, per hos dies remissa erant, Epi-
Decana- scopales Commissarij partibus diem di-
tu. cerent, & eorum auctoritate ad viden-
 dum acta referari, & audiendum publi-
 cari sententiam, *Mallingcro-* evoca-
 retur. Quod cum præmissum esset, nec
 per se, nec per alium ipse compareret;
 post contumaciae accusationem, acta tan-
 dem referantur & prodit sententia, quâ
Mallingcro- Beneficiis & Decanali
tius munere, ipso jure & facto privatus de-
 claratur. Ab hac quidem condemnatus
 ad Nuncium Coloniensem provocabat,
 & hic quoque per nominatos isthic Com-
 missarios inhibitionem decreverat; quod
 tamen ab eâ denuò Romam provocasset
 Fiscalis Procurator, dies sexta Aprilis ele-
 ctioni Nec-Decani statutâ est. Quo tem-
 pore Canonici Cathedrales frequenter
 congregati, Jodocum Edmundum, ex
Brabec- illustri *Brabeckiorum* stemmate, & arce
kus eli- gentilitiâ *Leibmate* oriundum, Majorem
gitur De- huc ulq;
canus.

hucúsque in æde summa Thesaurarium, in suum & Collegij Decanum unanimes elegere; virum eximias ob virtutes ac præclara merita eo honore, tam administrantis ipsius Principis, quam suffragantium omnium calculo dignissimum.

Interea quoque Veredarius ex Urbe *Chisius* fert, Fabium Cardinalem *Chisium*, unanimi Purpuratorum Patrum consensu supremum in terris Pontificem renunciatum esse. Eodem tempore in Monasterio Fratrum Minorum Familæ S. Francisci (quos Conventuales dicunt) prandebat *Christophorus Bernardus*. Solennis namq; agebatur anniversaria dedicationis templi dies, cui noxarum animæ veniam, impunitatemque à multis retrò seculis annexuit Pontificia benignitas. Cùmque eadem occasione primores è Civibus, pro more invitati, plerique pariter adessent, nihil prius habuit, quam nuncium tam optatum præsentem edocere, simulque ut ea inter hilãria lætarentur de feliciter electo & pri-illo, quem eodem in loco quandoque commorantem (is enim eo tempore, quo pax Westphalica eudebatur, uti Legatus *Innocentii* Decimi, andronis hujus tecta habitarat) futurum olim Pontificem non rari præmonstrassent; post meritissimas Viri virtutes allecti vaticinio *Malachia* Hiberniæ Primatis, *Custodem* *Mox-*

Chisius
fit Pon-
tifex.

Communi-
nis ex ea
et pri-
vata
Princi-
pis lati-
ria.

1655.

Montium (quos insigne *Chisij* gentilitium referebat) annos quingentos duodecim antè, Papam non sine miraculo prædicentis. Quodque pro eventa prospero preces ad DEUM sollicitus fudisset ipse, fundique imperasset, ita voti jam compos supplicatione solenni, nec sine festo scloporum ac tormentorum sono, lætisque per arcam Cathedralem ignibus divinæ providentiæ grates persolvit.

12.

*Christo-
phorus
Bern.
febricitat.*

*Recon-
valescens
indicit.
Wolbe-
cam Co-
mitia.*

Quibus peractis relicto Monasterio *Wolbecam* abit; sed vix eo progressus, declinante in vesperum die, inopinâ febrî corripitur. Undè statim, quod ex Astrologis quispiam fatalem Præsuli diem eo anno divinasset, Monasteriensem illum fore jam tum febricentem; conficiebant ij, qui hunc rerum statum ægrè intuentes, votis suis astra attemperabant. At conjectatio illos sua fallos habuit; brevi enim (operâ cumprimis *Bernardi Rottendorffii*, qui valetudinis moderator erat) recuperata sanitas est, & Comitia secundum pactiōnem *Schonesitanam* ad diem Junij vigesimum septimum *Wolbecam* indicta. Novam inde criminandi occasionem arripuit vulgus, præteritâ nimirum Metropoli, contra morem plures jam annos observatum aliò conscribi, transferrique Comitia: verùm peritiores abundè gnari in solius esse Principis arbitrio, ubinam conventum

ventum hunc agi velit, prudentiùs acquiescebant.

Quod autem inter cetera cum Principe *Schonesbiti* transactum esset, ut in proximis Ordinum Comitibus, super abducendo ex Urbe præsidio tractaretur; nec obscure Senatores præviderent, tam Cathedralis Collegij Nobilitatis, quam reliquarum imprimis Civitatum ab omni educatione præsidij aversionem, non minus temporis, quam urbis suæ lucrum arbitrati tempestivius prævenire, Principem orant, Monasteriensibus liceat hac super re citrà Comitiorum diem, cum eo antè & privatim congregari; ac mox annuentem flagitant, ut militem suum educi, nec alio quam urbico Civitatem uti patiatur. Id scilicet unum deesse contestantur ad quietem vulgi: gliscere idcirco quotidie Civium querelas & Senatui obijcere Principis fidem, ex pacto *Schonesbitano* ad id obligatam. Confidant unâ militum protectione concessâ, non Urbis quietem solum, sed etiam Civium omnium devotionem auctum iri. *Christophorus Bernardus* tamen sub initium à precibus Senatorum haud alienus erat; quod tamen per eos dies ex audaculis quidam, nisi militem suum tempestivè Princeps educeret, armatam spargerentur expulsionem comminati, cunctatior

exinde

Monasteriensis tractant de educatione militum.

1655.

*Partem
primum.**Tandem
etiam
omnem
educit.**Mona-
sterien-
ses gra-
tias a-
gunt, &
ampla
offerunt.**Deinde
petunt
Vierden-
halvium
absolvi.*

exinde factus dimissionem aliquantisper
differebat, experturus si ~~quid~~ inconsulto
Senatu populus contra militem per vim
auderet. Postquam verò ex vano istius-
modi minas jactari compertum habuit, ut
sinistram omnem Civibus eximeret suspi-
cionem, isto numerosiore præsidio nihil
se libertati Civitatis advertum moliri, non-
nullas primùm copias educi faciat. Tan-
dem etiam ad iteratas supplicis Magistra-
tūs preces, & *Francisci Guilielmi Osna-
brugensium Antistitis*, ipsiusque Collegij
Cathedralis Monasteriensis intercessionem
totum migrare jubet. Monasterienses ingen-
tem id gratiam interpretati, per certos e-
Magistratu ac domo Tribunitiâ Deputatos,
*immensas Principi gratias agunt; ac spe-
rarent se omnem nunc seu differentiam seu
diffidentiam cum præsidio emissam suamq;
Urbem profitentur aeternum Principi obli-
gatam, paratamq; quovis ingruente pe-
riculo, præsidarios recipere; integra
inimò legiones, suam & patriam totam
ad defensionem, si tempus & necessitas
ita postularint, nunquam recusaturos.*
Hanc devotionem prælati, causam *Vier-
denhalvii* proponunt. *Memnisse se ad
cetera etiam Schonestiti pactum, ac
privato cuidam scripto insertum esse,
Vierdenhalviam non ante, quam de ob-
jectis criminibus sese purgasset ad pu-
blicos*

blicos congressus admitti debere. Pro-
 ximum nunc instare tam Ordinibus de-
 stinatum Comitibus, quam Urbi dissensionibus
 amice componendis diem. In his
 uti opera sui Oratoris Civitas carere
 non posset, ita iisdem interesse clam
 eo minus deceret. Orare itaque Prin-
 cipem, ab ingesta suspicionis nota, virum
 prorsus innocentem, pro equitate sua
 absolvat, aut istius qualiscumque iniurie
 oblitus, pro innata generositate & cle-
 mentia haud prohibeat publicis absti-
 nere. Ex tempore respondet Princeps, Princeps
 quò fortior sit innocentiae praesumptio, Arbi-
 vel eò quoque facillorem fore purgandi trorum
 viam. Privilegiis autem Patriae contineri, electio-
 si quae Principem inter & Ordines, seu nem of-
 Eorum membra dissensio enascatur, ad fert.
 eam planius terminandam, ex ipsis Ordini-
 bus viros utrinque nominari & eligi
 oportere. Optet nunc ex his, quoscumque
 malit Vierdenhalvius, huius qualis, qua-
 lis controversiae Arbitros. Verum ille Sed hanc
 oblatam hanc conditionem declinans Prin- Vierden-
 cipem sollicitat, ad alterutrum ex supre- halvius
 mis, Ecclesiasticum scilicet vel Civile Au- repu-
 licum Tribunal, causam hanc deferri, ibi- diat.
 demque decidi permittat. Sed uterque
 Judex, is quod sacer esset, hic quod
 actiones eas à foro suo alienas obtende-
 ret, à tam invidiosa ferendi iudicij ne-
 cessitate

1655.

cessitate totis se viribus subtraxit. At Præsul demiratus favores privilegiorum repudiari, tandem igitur se veluti Principem, cum reo tanquam subdito, paratum agere contestatur. Sed quod legatione clam adornatâ, *Vierdenhalvum* sub hæc Viennam mitteretur, omnis tunc quidem actio intermissa est.

In Comitibus accisiarum contributio decernitur.

In Comitibus interim *Wolbecanis*, quæ per id tempus fervebant, nova rursum emergebat difficultas. Etsi enim concorditer placuerat Ordinibus, conventam argenti summam, patriæ necessitati quot mensibus contribuere, in modo tamen toti discrepabant. Siquidem Civitates malebant usitatum è Parochiis tributum; sed quod plus nimio Colonis id grave causarentur, in aliam tributæ exactionem convenere sacer æquè ac profanus Nobilium Ordo. Nimirum, ut de vino, de cerevisiâ, quoties veniret, in Civitatibus æquè ac pagis, certa pecuniæ portio (*accisus* vocant) in ærarium Provinciale inferretur. Sic enim posse, aiebant, exhaustæ bellis patriæ utiliter consuli, ne soli ferè, prout hætenus, consuetâ tributandi molestiâ rustici premerentur. At Civitates conjunctis animis omnes reluctabantur, obtendentes id cum juribus suis pugnare, & isto exactionis genere adimi unicum sui alimentum, quo solo solvi

Reclamant Civitates.

solvi possent contracta in ipso belli æstu
 immensa debita. Ad hæc de potentis
 tot hodie nummos dari Magistratibus lo-
 corum, quid si nunc etiam totidem pa-
 triæ, unde eam pecuniæ vim, auctis to-
 ties oneribus caupo corraderet? Sed ean-
 dem in pagis ac municipiis difficultatem
 causabantur Ordines cæteri, nec eum ipsis
 aut Principi animum esse, suis Civitates
 juribus exuere; cum quæ peteretur sum-
 ma, consuetis apud eas *accisis* minimè
 decederet; nec tam ex Civium & incola-
 rum, quam exterorum, ac peregrinantium,
 marsupiiis supplenda esset. Eas inter alter-
 cationes, ut in imperio mos habet, potiori
 nimirum suffragio, finem Ordines Comitii
 imposuerunt. Monasteriensibus autem data
 optio, si tributum hoc præterite ipsi are
 commutare mallent. Sed ij, sicut & cæ-
 teræ Civitates, gravamen questi, Princi-
 pem ac reliquos Ordines super novâ illâ
 tributis ratione Spiram in jus vocavere.

His diebus, quam multus jam antè
 Civis clam urserat, decreta est Legatio ad
 Imperatorem; & solum in urbe delibera-
 batur, quis tandem aptior mitti posset.
 Plurimi in Wilbrandum *Staalium* Juris-
 consultum, tunc Senatorem, collima-
 bant, quod is annos aliquot *Vienna* com-
 moratus haud ignarus istius aulæ credere-
 tur. Sed vir ille Principis offensionem

14.

*Monasterien-
ses Staalium
lio recu-
sante.*

S

non

1655.

Able-
gant
Vierden-
halvium
Vien-
nam.

Cum hac
instru-
ctione,

non abs re veritus, odiosam hanc & onerosam functionem prudenter excusavit. Quòdque eodem anno à *Liechtensteini* Ordinis Teutonici per Westphaliam Provinciali Commendatore Syndicus & ab Archiduce *Leopoldo Guilielmo*, veluti supremo Eiusdem Ordinis Magistro, Consiliarius adscitus esset; Monasteriensibus paulatim negotiis se subduxit. At verò, quam *Staalius* recusarat provinciam, faciliore negotio suscepit *Vierdenhalvius*. Id namque viro honorificum, ut qui in Dicecesi publicis interesse prohibebatur, publico jam Civitatis nomine ad ipsum Casarem ablegaretur, manifesto illibati apud suos honoris argumento. Nec aptior quisquam, quod iurium Civitatis nemo peritior, & ex contracta apud Principem offensâ fidelior haberetur. In mandatis dant, oret Imperatorem, ne præsidij, armorumque & alia iis annexa Civitatis jura, contra jus, fasque à Principe lædi patiatur, sed uti à Cæsaribus olim data, confirmataque, ita nunc interventu suo facta tecta conservet; aut certè iis patronos nominet ex Ordinibus Imperij, qui res illorum propiùs inspiciant, & ex voto curent. Nec enim recrudescentibus toties Principem inter & Civitatem malis, præsentiosem esse medendi viam. Ita instructus admissio triginta armatorum præsidio, qui per
Diece-

1655.

Diecepsin saluum traducant, Viennam
abit.

Christophorus Bernardus ut primum
comperta ea habuit, *Furstenbergio* man-
dat, ut & ipse Viennam properet, usque
Veredorum prævieniens *Vierdenhalvij* co-
natus pro suâ prudentiâ solertiâque apud
Augustum frustretur. Agebat is hoc
tempore *Coloniæ Ubiorum*; & tractatibus
Brandenburgicum inter ac *Neoburgicum*,
super *Juliacensi* & *Clivensi* successione,
Cæsaris jussu innovatis, præerat *Monaste-*
riensis Principis loco.

At verò pupugit in primis Præfulis ani-
mum, nihil impetratâ militum missione
Civitatem quievissè; sed posthabitis tot
antè contestationibus, nunc etiam illo,
per speciem salvi-conductûs, armatorum
comitatu, jus territorij violâsse: intenditq;
aversionem *Monasteriensium* diffidentia,
quod cum plena animorum utriusq; con-
ciliatio facilis & in propinquo esset, quasi
fugientes benevolentiam suam, aliud fo-
rum adire satius haberent; venantium mo-
re, qui sæpe feram, dum quasi distantem
sectantur, vicinam prætereunt.

Accedebat & aliud irritamentum ex
novo juris præsidij & armorum usu. Per
eos namque dies Principe invito, nec ex-
pectatâ *Vierdenhalvij* negotiatione, Re-
muntio hætenus Urbis gubernatori *Lebui-*
num

Eodem
Princeps
Fursten-
bergium
præmit-
tit.

Eâ Mo-
nasteriē-
sium no-
vitare
denuò
offensu.

Et ma-
gis novâ
militia
Præfecti
creatio-
ne.

1655.

Ac militum authoratione.

num Fridericum *Wittenbergium* Protribunum sufficiunt militiæ suæ Præfectum ipsumque urbanum militem numero augent, ac novo obligant sacramento. Quo eò molestius Princeps tulit, quò evidentia concordia Schonesbitanæ adversari, ipsi imò *Regalibus ac superioritatis juri* derogare obtendebat; à quo scilicet præsidij & armorum in hanc suam municipalem & sui Territorij Civitatem, uti species à genere suo dependeret.

15.

Arma Suecica.

Sub hæc Suecus jam jam castra morurus trepidas circum provincias, suspensasque habebat; in quam videlicet partem earum tempestas incumberet. Et quantum istius armaturæ rumor multos territabat, præcipuè tamen *Neoburgicum* Ducem, quod clam admonitus esset, *Carolum Gustavum* è Comitibus *Palatino-Bipontinis* creatum nuper Sueciæ Regem, eà expeditione in Juliam, annexasque ditiones arma conversurum. ac vindicaturum succedendi jus, quod in eas ipse terras, ex conjugio *Magdalena Clivia* cum *Joanne Bipontino*, par cæteris obtendebat. Quare iteratis aliquoties litteris, nunciisque *Monasteriensem* Principem, utpote confederatum sollicitat, ut habitâ finium suorum ratione, si quid à Sueco periculi forsitan immineret, quam celerrimè faceret certiolem, cum auxiliaribus sese copiis, alacrem-

Angunt Neoburgicum.

alacremque ocyus adfuturum. Igitur *Christophorus Bernardus* contractis suo è præsidio undique copiis, utque in subitum belli casum promptas evocare posset, ita opportunè dispositis, *Vechtam* fortalitiū & confinia Suecis loca præsens lustrat; nihil illo, quem *Koningsmarckius* Comes Suecorum ductor recensuerat, armatorum numero territus; certus præterea non daturum se iis, si fortè id poscerent, sua per Oppida aut terras liberum iter. Sed nec illud postulatum, nec quempiam à Suecis missum, qui contra quam spargebant, venturo exercitui transitum, annonamq; procuraret, eventus mox docuit, cum Poloniam versùs movere nunciarentur.

Princeps igitur intellecto Suecorum discessu *Coesfeldiam* redit, ubi meditativè considerat præsentem Dicecesis suæ statum. Non stare Monasteriensem populū placitis compositionis *Schonestitanæ*; violari sublimia Territorij sui jura: *Vierdenhalvium* purgare se nequicquam dignatum; & nihilominùs ablegari nunc publico etiam nomine *Viennam*; lectum invito se *Wittenbergium* Urbis suæ Gubernatorem ac militiæ Præfectum hunc & præsidium & urbanam Juventutem militari exercitio possidere; & magis indiès, magisque Civem erga se exacerbari, imò non tantum non moliri adversa quævis, ut cum sine de-

1655.

Excitant Monasteriensem.

Quibus in Poloniam

conversis.

Tot incivis Monasteriensem offensus Princeps.

Arcis extructionem alibi meditatur.

1655.

Propo-
nitur
Rheina.

spectu, sine periculo vix liceat isthic present
esse, suar, suorumque successorum securitat
prospicere, & tutam alibi, commodamque
sedem eligere ac figere compellatur. *Rhei-
nam* invitabat beneficium præterlabentis
Amisæ; & ipsa Civitas sub acre saluber-
rimo in meditullio Principatûs sita, exinde
opportuna subditis omnibus, & iis præci-
puè, quos aulam subinde sequi oporteret;
vicinas illi esse Satrapias *Wolbecanam* &
Horstmarientem, è quibus quidquid æco-
nomiæ sollicitudo exigeret, & commodè
& abundè posset suppeditari. Sed quod
petrosa utrinque tellus, nec Civitatis mu-
nimèn, nec alterius fortalitij extructio-
nem, aut sanè non sine inexplicabili sumptu
permitteret, haud meruit audiri. *Coes-
feldiam* hæctenus potissimum habitaverat.
Civitas erat situ opportuna, muniti faci-
lis, finibus *Gelriæ* ac *Batavorum* vicinior,
diei iter *Monasterio* dissita. Ex eâ uni-
versam patriam *Hassi* fecerant tot annos
vectigalem. Hanc primam omnium ex
hostili manu recuperaverat *Christophorus
Bernardus*, & plenâ cum potestate possi-
debat.

Sed
Coesfel-
dia eli-
gitur.

Quando
& quâ
formâ
arx ibi
ædificari
cepta.

Eam igitur palatio & arci extruendæ
destinavit. Ipsâ *Divi Augustini* festâ luce
fundamenta jacta sunt. Post sacrum in
æde *S. Lamberti* peractum sexcenti milites
cum ligonibus, vehiculis, aliisque instru-
mentis

mentis læti ad operas dimissi. Supra Civitatem, Aquilonem inter & Orientem delineârat Bernardus *Spodæus* Bellicus Machinator, tetragoni formâ, seu quadrangulari, propugnaculis in tumulo aggestâ terrâ eminente (Cavaleros Itali vocant) ad singula latera quam amplissimè projectis.

Haud tamen omnibus probatum fuit, tum quod moles nimis vasta, nec multorum quidem annorum spatium posset perfici, imò si perfecta etiam foret, impares essent Principatûs vires alendæ militiæ, quam præsidij necessitas postularet; tum quod eo ad montis pedem loco extrueretur, ubi libratis è clivo tormentis vel facile everti, vel ad deditioem cogi ultro posset. Verùm jam antè accuratam satis sumptuum & præsidij rationem injisse se Princeps agebat, & justâ juxta Civitatem planitie sapienter fabricari arcem affirmabant periti Machinatores, quò adlabentis *Bercula*, ejusque lacunarum beneficio, & Castri & Civitatis securitati rectiùs consuli daretur. A periculo vicini montis satis arci præcautum: nec enim hosti, obsidionem quandòque aufuro vires unquam defore, ut similem disponendis tormentis tumulum, ac multò propinquiorem erigere præpediatur. At verò *Coesfeldien-* *Querelis*
ses lædi violenter Civitatis jura; eripi ci- *Coesfel-*
 tra necessitatem agros; hortis, pascuis, *dienstums*
 S 4 viisque

1655.

Opponit
Prin-
ceps re-
sponſa
Acade-
miarum.

Et exē-
pla Prin-
cipum
vicino-
rum.

Ipsiſq;
Civita-
tis Mo-
naſteriē-
ſis.

viſſque publicis iniquè Civem exui, lamen-
tis etiam querebantur; cumque ſpe avo-
candi ab eo animo Principis nihilominùs
frustrarentur, ipſos tandem Machinatores
diris omnibus devovère. Sed eà quaestio-
ne ad Academias relatâ, expenſaq; à Theo-
logis ac Jureconsultis, responſum denique
est: illam propugnaculi, arcisq; extruc-
tionem, quod Præſul agrorum pretia ſol-
vere paratus, præter ſubditorum ſalutem,
patriæque deſenſionem nihil propositum
haberet in animo, nec juri, nec dicto pa-
triæ ſacramento repugnare, ut non oportet
propterea audiri ſubjectorum queri-
monias, quorum rationes non ad publica,
ſed propria ſolùm commoda referri ſatis
conſtaret. Neque abſque exemplo fieri,
quod extruendis novis munitionibus qua-
leſcunque agri; domusque inſumantur.
Aſpicerent ad vicinos Germaniæ Principes,
Moguntinum *Moguntia*, Colonienſem
Bonna, Brandenburgicum *Calcaria*, Neo-
burgicum *Duffeldorpii*, & ipſum, ut ex-
trema prorfus ſileantur, *Monasterium*, Ur-
bem, ubi Cives, ſuis quantumvis invita-
hortis, Ludgerianæ munitioni extendendæ
peropportunis exuti; ipſoque Cathedrali
Collegio (cujus juridiſtioni pars magna
ſubtrahebatur) adverſante, poſtremam eo
anno operi manum applicarant. Quibus
ſi poſthabitis concivium, quin & ipſorum
ſummæ

summæ ædis Canonorum querelis impu-
 nè id licuisset, quis Principem intuitu
 subditorum, diceret prohiberi? Exinde
 magnâ sexcentarum, pluriumque continuò
 operarum festinatione pariter ac successu
 cæptæ jam arci perficiendæ insudatum est.
 Vallo dein ac fossâ duplici cincta. Aqua
 delabentis *Bercula* in utramque eo ar-
 tificio inducta, ut aliorsum derivari non
 posset. Ipsæ rursus fossæ locis opportu-
 nissimis per triangula collateralia redditæ
 tutiores. Vidit hos Principis conceptus ac
 probavit *Henricus Rusius* munitionum op-
 timè struendarum scriptor, & auctor ex-
 quisitus, qui & nuper celebrem in *Candia*,
 Bello veneto, famam nactus, ob artis peri-
 tiam apud Regem *Daniae* & Urbem *Am-
 stelodamum* magno loco habitus est. Tem-
 poris verò successu moles hæc quotidie
 perfectior excrevit, portis, palatio, ar-
 mamentariis, ædificiis ac Tuguriis mili-
 taribus, variisque machinarum curulium,
 & pyrobolorum formandorum officinis ex-
 ornata. Nomen illi inditum soleanni pom-
 pã, à S. Ludgerò Proto-Episcopo Mona-
 steriensi, *Ludgeriburgum*. Castrum ipsum
 fossis ac munimentis oppidi postea con-
 junctum & adnitente inprimis operâ *Petri
 Pictorij* natione Dani, ingeniosi Machi-
 natoris ipsa Civitatis munitio portis variis
 obstructis, structisque novis ex toto in-
 novata.

*Rusius
 opus pro-
 bat.*

*Nomi-
 natum
 est Lud-
 geribur-
 gum.*

1655.

16.

Christo-
phorus
Bern.
celebrat
Synodū
Genera-
lem.

Wieden-
bruckius
ablega-
tur

Franco-
furtum.

Cæsar in
causā

Monas-
teriensi

Commis-
sarios
nominat.

Fursten-
bergius
vadit
Romam.

Et si Princeps fundandæ sic arci in-
tentus erat, haud tamen ideo deposuit sa-
crorum curam, sed ad quartum Idus Octo-
bris indictam toti Clero Synodum Genera-
lem solennissimo ritu, & exquisito appara-
tu præsens ipse Monasterij celebravit, mul-
tâque in eâ statuit salubriter ordinata di-
vino honori promovendo.

Missus intereâ *Francofurtum* ad de-
cretam Deputationis diem *Wiedenbruc-*
kius, dum sedulò curat, quæ Imperij
funt, pari contentione *Furstenbergius* &
Vierdenhalvius Viennæ agunt, hic Ci-
vitatis, ille Principis sui causam. Tandem
Imperator *Moguntinum* & *Trevirenses*
ArchiEpiscopos nominat componendæ rei
arbitros; sin minus, evocatis utrinque
partibus jura cujusque examinent, cau-
samque plenius instructam submittant Cæ-
sareæ decisioni.

Monasterienses neutrum quidem pa-
lam suspectum allegare ausi, certi tamen,
quâ autoritate is *Moguntiam*, hic *Tre-*
viros possideret, supplices institerunt,
Episcopus *Osnabrugensis* & Dux *Neobur-*
gicus ut designatis jungerentur. Preci-
bus eorum annuit Imperator, & utrumque
pari cum potestate prioribus adjunxit. Co-
gnitâ jam Cæsaris voluntate Ablegatus uterq;
reditum parat. Et *Furstenbergius* qui-
dem, quod ab *Alexandro septimo* summo
Pon-

Pontifice invitatus Romam festinaret, nullo negotio redux, expeditione Principi relatâ, & assumptis Paderbornâ sacris D. Liborij Lypsanis, Pontifici calculo laboranti desideratis, Italicum iter ob instantem hyemem maturavit.

At verò cum *Vierdenhalvius* corpore juxtâ ac senio gravis in viâ tardior, avidos gestæ rei civium animos diu sustentaret, scripsit ad Senatum, Populûmq; Morasteriensem Princeps; quod contra *pactam Schonefliti conditionem, non sine sui despectu, publicis se ingesserit Vierdenhalvius; litique à Procuratore Fisci intentata ac Jurisdictioni sua se subduxerit; imò valem prahensans legationem, in abitu territorium violârit; non posse se illi, priusquam jure se purgârit, tutum ad Urbem reditum permittere, sed hominem libero per terras suas commeatu interdici.* Exindè viâ & milite, & rustico totâ patriâ intercluduntur. *Susatam* jam tum pervenerat; isthic Magistratus ac plebs subsistere viro persuadent, donec liberio rem permitteret transitum propior spes securitatis. Nec enim interim passuros se unquam spondent, ut in Principis potestatem dilabatur; aut profectò, si fortè intercipi contingeret, conclusis Urbe Consiliariis ac ministris paria relaturos.

Redeunte Vierdenhalvio intercluduntur via.

Subsistit aliquandiu Susati.

378

Inter

1655.

In Comitibus Coesfeldia cōtinuata Ordinum dissensio.

Inter eam spem & metum indicta decimo sexto Calendas Decembris Comitibus Coesfeldia agebantur. In his tametsi de summa, patriæ bono contribuendâ, unanimi Ordinum consensu conventum est, iterum tamen modus collectandi non idem omnibus placuit. Enimverò Cathedrale Collegium & Equestris Ordo eam tributarionem, quam ipsi concluderant proximis Wolbecæ Comitibus continuari voluerunt, rejiciebant id Civitates; pari utrinque pertinaciâ. Illis satis erat assentientis Principis voluntas. Has stimulabat & his in persimili ferè causâ ante annos prope quinquaginta, contra Principem & Ordines pro se decisa, ac propinqua spes in Dicasterio Spirensi nunc idem denuò obtinendi. Et sanè patuit, quam acre telum tributa sint, quàm graviora populis aliundè commotis, nec solita imperantur. Etenim Civitatum querelæ, quod illâ sui, ceu tertij Ordinis, ac suffragij præteritione, patriæ violari privilegia clamarent, de Principis & Nobilium severitate, non ultra execrationem atque odium fuere.

Ex nova villarum exemptione auctiores.

Et multum augebantur ex novâ villarum immunitate, quam Nobilibus indulserat Princeps. Ita se res habebat. Ordinaria patriæ contributio, quam Parcecialem vocant (Kirspelschatzung) continet singula ad cæteros incolas, prædia, seu

seu villas Colonorum tributis obnoxias. Ex iis unam, Nobilibus ad Comitiam evocari solitis, seligere permissum, sibi que applicare ejus portionem, quæ cæteroqui cum reliquis ad ærarium Provinciæ conferri solebat. In non exiguam annuè summam excresebat ista exemptio. Et quia magnam pecuniæ vim, communi patriæ necessitati, in Comitibus identidem exposcebat Princeps, decrescens à toto summa cæteris accrescebat, insucto gravamine supplenda. Tantum onus cum omni æquitate ac justitiâ pugnare clamabant Civitatum Magistratus, imò quotquot erant subditi totâ patriâ vectigales. Sub initium prætextui habebatur, quod Nobilitatem, bono patriæ in Comitibus præsentem, proprio sumptu vivere, & idcirco tantillum, alicujus compensationis loco, haud invideri oporteret. Quod autem plenâ agrorum, Castris suis annexorum, immunitate Nobiles fruerentur; nec istas solum, quæ præ reliquis plurimum Patriæ contribuebant, sed tot etiam villas singuli eximerent, quot ipsi Castra possiderent; imò ad plures quòque extra Nobilitatem exemptio ista extenderetur, visum est multis, minus æquè probari posse. Princeps verò, quod inter ea cum Monasteriis dissidia Nobiles sibi cuperet addictos, saltem nollet contrarios, præsentens

sentens

1655.

sentem eorum utilitatem facile prætulit Civitatum querelis. Nec adduci tunc unquam potuit, quidquid supplices docerent Magistratus, ut exemptionem eam revocaret.

Vierdenhalvius Susati arresto detinetur.

Jam verò vix dum finito Comitiorum die, ubi *Susato* nunciatur subjectus arresto *Vierdenhalvius* certâ domo custodiri, mirum quantum Civitas eo nuncio sit consternata. Nec ultrâ moras nexura, ocyus binos ad *Susatensem* Senatium, totidem *Clivos* ablegat, curaturos, ut solutus arresto *Vierdenhalvius* libertati restituatur.

18.

Principes Commissarii partes Colonia vocant.

Haud tamen ideo reconciliationis curam omittebat *Christophorus Bernardus*, adnitentibus memoratorum Germaniæ Principum Legatis, qui componendis hisce controversiis ab Imperatore præfæcti, Principem ac Civitatem Monasteriensem ad Calendas Januarias Coloniam evocârunt. Ablegatus quidem isthuc *Wiedenbruckius* sed quia Monasterienses ob

Wiedenbruckius eo ablegatur, sed brevi redit.

instantem novi Senatûs electionem, neminem constanter ablegari posse causati, tantisper diei prorogationem exoraverant, brevi post reversus est.

Diffidentia Monasteriensium.

Veruntamen nihil ideo diffidentia remittebat, cum enim per eos dies copias suas contraheret Princeps, quibus *Leodiensium* necessitati contra *Condeanos* succur-

succurreretur, transeuntes Urbem mi-
 litum turmæ, è tympanorum strepitu
 procul auditæ, novi insultûs suspicionem
 ingesserunt; quòdque antè Magistratûs
 instaurationem adversa iterum Princeps
 tentaturus per Civitatem spargeretur, ar-
 mati noctu valla petunt. Sed falsos do-
 cuit dies mox infecuta. Etenim *Con-*
daus Princeps cum robore sui & Hi- *Conda-*
 spanici exercitûs, in Leodiensium ditio- *ni apud*
 ne hyberna reposcebat; quæ res cum *Leodi-*
 patriæ isti vehementer obfutura esset, *ses hy-*
Maximilianum Henricum Octovirum *berna*
Colonensem, Leodiensium Antistitem *pôscent.*
 movit, ut præter delectus suis in pro- *Contra*
 vinciis habitos à confœderatis circum *eos Chri-*
 Principibus propugnandæ *Leodiensium* *staphor.*
 securitati subsidia postularet. Atq; ideo *Bern.*
 Monasteriensis Præsul auxiliares, uti ro- *suppetias*
 gatus erat, Duce *Cratziq* armatos mille *mittit.*
 quinquagentos submisit.

Ineunte jam anno supra millesimum *Electio*
 sexcentessimum quinquagesimo sexto de *Magi-*
 novâ Senatûs electione continuus in Ur- *stratûs*
 be sermo erat. Totius anni decursu *Mona-*
 jactitarant passim audaculi plurium ex- *steriesis.*
 authorationem. Nec vanam prorsus fu-
 isse comminationem eventus probavit Sta-
 tutâ die decem abdicati, decem adlecti.
 Vix habitum personarum, meritorûmq;
 discrimen, multos in admirationem tra-

1656.

280 CHRISTOPH. BERNARD.

xii. Sanè Bernardum *Rottendorffium*, quod vir Magnatibus, ob artis Medicæ peritiam, ubivis locorum præclarus, non rarò vicina Civitati damna avertisset, inter cæteros præteritum plurimi stupuerunt. Et licet plerique neglectâ curarum, laborumque ratione, quos & ipsi & Majores eorum pro salute Civitatis exantlassent, tam immeritæ remotionis putarentur offensam præselaturi, palam tamen contestati sunt (& cum primis *Hofflingerus* Ex-Consul ac vir gravis) sibi protectò inter hujusmodi Cives constitutis, quorum pleròque aut æmulatione discordes, aut de suâ erga Urbem fide dubios, aut sibi præter meritum inensos habuissent, jucundius nihil accidere potuisse; præsertim cum non eo, quo olim, Monasterium loco, sed posthabitâ Consulium ac Senatorum authoritate penes plebem rerum publicarum summam esse abundè constaret. Et verò etiam Principi displicuit, quod *Vierdenhalvium*, ut interpretabatur, contra pacti *Schonefitani* leges, Ordini Senatorio adscriptissint, vel ex eo, quia sibi invisus, Consulem, ut creditum fuit, à plebe designatum. At verò Cives hujusmodi pacta inficiati electionem mirè comprobantes (postquam nonis Februarij, anniversarium tentatæ Urbis diem, conjunctis usque

Anni-
versaria
tentata
Urbis
dies.

1656.

usque animis festum peregerant, ut clavis Mercatores Officinis, pistoris, Lanij, tabernariique toto eo die ab opere cessarint) quâ tandem viâ Vierdenhalvius in Urbem salvus reduci posset, sollicitè consultabant.

Interea Cæsar motus Civitatis querelâ, quod susceptæ ad Imperatorem, legationis causâ, tam adversa pateretur Vierdenhalvius, præceperat, ne tuto itinere reverti in Urbem prohiberetur. Cui mandato tamen nullam Princeps parendi necessitatem agnoscebat, quod subteritâ vellet rei veritate impetratum esse; id tamen tribuit honori Cæsar, ut interclusas undique vias se moto milite & rustico ocyus jussit aperiri. Et fortè per eos dies Clivensis Curia, ac Magistratus Susatensis, acceptâ Monasteriensium cautione, solutum arresto Vierdenhalvium pronunciârat. Cumque multus miles è Dicecesi Leodium versus abiisset, enimvero eâ utendum opportunitate rati, emissis sub noctem ex Urbe sclopetariorum circiter ducentis, Cives magno numero equites, partim honoris, partim securitatis causâ obvij, decimo sexto Kalend. Martij, inter insolitam ventorum ac frigoris asperitatem, continuosque nivium imbres, salvum in Civitatem reduxerunt. Tam felicem eventum sibi gratulantes nonnulli

19.

Arresto
solvitur
Vierden
halvius.

Et Mon
asteriis
reduci-
tur.

T

jacta-

1656.

jaetabant & alia pari exitu propediem successura, ut nimirum, quod in ore ac votis plurimorum erat, persimili *Mallingerotius* triumpho restitueretur.

Rumor de reditu Mallingerotij.

Hic enim, ubi molesto *accisiarum* tributo Civitates fide pariter dubiâ urgentur, gliscente omnium odio, auctâ præsertim ex faustâ *Vierdenhalvi* reductione, plebis audaciâ, firmatus occultis plurium consiliis, etiam per litteras reditûs sui opinionem auxit. Intenditque eam *Brabeckij* Decani, qui in paternâ Arce privata aliquantisper curabat, absentia; adeò, ut Princeps ac Cathedralè Collegium desperatione omnis apud Romanos Judices victoriæ, non modo per honorificas quasque conditiones atque aliquot Imperialium millia obtulisse, verum etiam expensarum tententiâ damnati, jussique *Mallingerotium* pristino reddere honori spargerentur. Ex quo autem natus sit hic rumor, paucis enarrabo.

Undè ortus.

Agebat eo tempore, ut dixisse me ante memini, Legatum Colonix *Wiedenbruckius*. Hunc per lectos è Clero viros *Mallingerotius* rogaverat componendæ rei patronum, utque compositis ad Principem litteris causæ faveret; sibi enim ulterioris pertæso altercationis fixum nunc, statutumque stabilem cum Principe ac Collegis suis concordiam tandem

inire.

inire. Et *Wiedenbruckius* ratus serio id eum velle, sponsâ operâ, diversas misit super hoc argumento litteras, quibus explicatâ *Mallingerotij* voluntate placitum Principis ac Cathedralis Collegij reposcebat. Quodque, ob prorogatum Commissionis diem Coloniâ redux, *Coesfeldia* ac *Monasterij* idem urgere videretur, quanquam mutatis postmodum conditionibus ac mente suâ, *Mallingerotius* componendæ litis viam præciderit, ij tamen conatus mendacis famæ occasio fuerunt.

Tandem sub Martium mensem ad-
 rant Coloniæ Principum Legati, qui con-
 troversis Monasteriensibus Cæsaris autho-
 ritate præfecti, alterâ jam vice Princi-
 pem isthuc ac Civitatem ad id tempus
 evocârunt. Subdelegaverat *Moguntinus*
 Philippum Ottonem ab *Herzelles*, qui
 Octoviro ab arcanis consiliis erat: *Tre-*
virensis Lotharium Baronem de *Metter-*
nich ex *Winnenberg*, Provinciale aulæ
 Magistrum; & Joannem *Anethanum*
 Cancellarium, virum à multarum rerum
 peritiâ & agendorum dexteritate celebrem;
 qui & hinc bonorum consiliorum pater
 dictus fuit. *Osnabrugensis* *Haesium* Se-
 niolem, Urbis Coloniensis inquilinum &
 Consiliarium suum; *Neoburgico* *Pal-*
atinus Generalem Campi Marescallum Ba-

20.

Conven-
tus Colo-
niensis.

T 2

ronem

1656.

284 CHRISTOPH. BERNARD.

ronem de *Reuschenberg*, & Pro-Cancel-
larium *Schnell* Juris Consultum. Principis
Monasteriensis Legati fuere *Matthias*
Korff condictus *Schmising* Major The-
saurarius (eucti non ita pridem ad De-
canatum *Brabeckij* ex Principis gratiâ in
eâ dignitate & Consiliariatu Successor) &
idem qui nuper *Bernardus Wiedenbruc-*
kius; Civitas verò è suis negotium com-
miserat *Nicolao Drachtero* (qui paulo
ante Consiliarius à Principe exauthora-
tus, inter Senatores proximâ statim ele-
ctione adscitus, & secundùm *Vierdenhal-*
vium exemplo novo creatus *Monasterien-*
sium Orator) *Kemnero*, *Keppelio* &
Buckio, omnibus Jurium Licentiâ dona-
tis, tum & *Helmichio Meyer* ac *Henrico*
Zurmöllen Tribunis-plebis. Cum his
in octavam usque hebdomadem concor-
dia tentata est, nunc propositis, nunc re-
missis conditionibus. Ubi verò proficere
nihil, sed primâ super jure præsidij &
armorum quæstione, à quâ exorsi erant,
irretiri se magis indies notarent Cæsaris
subdelegati; desperatâ amicæ compositi-
onis spe unanimes decreverunt, causæ
totius satis instructæ, ac rerum isthic ge-
starum seriem cum animi sententiâ sub-
mittere Cæsaris decisioni. Atque ita im-
pensis tot frustra sumptibus, laboribusque
infectâ utrinque re *Coloniam* reliquerunt.

Dissol-
vitur in-
fectâ re.

Isthic

1656.

Isthic autem interea extensum est Sociatorum Principum, biennio abhinc pactum foedus. In eo confederatarum copiarum Dux creatus (quem ante nominavi) Baro de *Reuschenberg*: praescriptae Regiminis leges, stipendiaque eidem ac Subministris assignata.

Confederati Principes nuperum foedus extendunt.

Monasterienses vero conceptam Subdelegatorum relationem, ex imprudente cujuscumque sermone sinistram suspicati, aut suis saltem partibus minus utilem subveriti, Nicolaum *Drachterum* Oratorem suum, & Petrum *Wittfeldium* Jurisperitum (postea Consulem) Viennam mittunt, si forsan illorum opera possit enervari, ne in praeventa Caesaris mente fidem aut locum inveniret. Quorum conatibus obviaturus Princeps & ipse *Wiedenbruckium* Nono Kalendas Julias ad Imperatorem ablegat, mira omnium expectatione, quid ea demum Viennensis expeditionis boni, malive causatura esset.

Monasterienses Drachterum et Wittfeldium Viennam ablegat.

Christophorus Bern.

Wiedenbruckium.

Gravis erat epistola, quam sub initium hujus aetatis ad Praesules Germanos exaraverat, vere pastorali sollicitudine, Romanus Pontifex *Alexander*. Quod cum epistolam quoque, sed magna cum laude ingenti erga pietatem fervoris, *Christophoro* Episcopo *Bernardo* miserit Pontificis jussu Sansepolicius tunc adhuc Nuncius Colonien-
placuit totam his inserere, ut posterum

21. Pontificis epistola ad Christophoro Episcopo Berna.

1656.

286 CHRISTOPH. BERNARD.

citentur tam præclaro Pastoris exemplo,
& unâ notent severam ad eò muneris sui
obligationem Præfides Ecclesiarum. *Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis
& Episcopis superioris & inferioris Ger-
maniae Alexander Papa VII. Venerabi-
les fratres salutem & Apostolicam be-
nedictionem. Sollicitudinis, atque amo-
ris, quo animarum saluti Præpositi in
traditi sibi gregis, atque ovium curam
excubare assidue debeant, ipse, qui Ec-
clesiam suam docuit, suo sanguine fun-
davit, qui eam summe, atq; impensissi-
mè dilexit, non semel discipulos, quibus
illam discessurus tam amanter, tam fre-
quens, tam accurate commendabat, &
per eos, nos omnes suâ voce, suis præ-
ceptis & exemplis admonuit. Cum vero
maximi, atque amplissimi muneris, quod
eis imponebat, officium similitudinibus
adumbravit, lucem, & sal eos voca-
vit, ardentèsque in manibus lucerna
preferendas dedit, quo intelligerent,
omnia ipsis non modo suo lumine col-
lustranda, verum etiam, qui lucis usus
est, videnda, diligentèrque perscru-
tanda, in omnes porro partes pene-
trandum, ne qua eos sensim insiciens
lues aut occulta, inclusaque vis morbi
corrumperet. Ipse autem qui Ecclesia
sua supremus est Pontifex, & Sacerdos,*

non

non aliud libentius, aut sapius quam
Pastor dici, & audire voluit. At quam
amans fuerit, quam diligens, quam
anxius in ovibus suis deducendis, reco-
gnoscendisque; declarant nempe tam
cupide, ardentèq; durissimi quamvis
& immensi, suscepti & exhausti labores,
dum devias, errantèsq; caterarum penè
oblitus insequitur, perceptumq; ex re-
pertis animo gaudium, & gratulatio;
pro illis deniq; & acerbissimi cruciatus
perlati, & vita ipsa posthabita. Hujus
ferventissima charitatis eadem signifi-
catione magnitudinem expressit, cum
Apostolorum Principi, cuius Nos imme-
ritos vicem fungi iussit, sapius illa amo-
ris sponse repetitâ, Ecclesiam con-
crederet, etiam atq; etiam ut agnos,
& oves pasceret contendendo. Et sanè
utiam Venerabiles Fratres, ij quibus
tantum curarum, atq; oneris injunctum
est, administrationis sua rationem red-
dituri, illud verè usurpare possent, quod
olim sedulus ille Pastor, cum grave, diu-
turnumq; servitium domino imputaret,
oves tua, aiebat, steriles non fuerunt,
arietes gregis tui non comedi, nec cap-
tum à bestia ostendi tibi, diu noctuque
estu urebar, & gelu, fugiebátq; somnus
ab oculis meis. Verùm quoniam ita
comparatum est, ut nulla unquam tanta

sit hominum industria, nulli conatus, quin hos omnes exsuperet ab stirpe culpa obnoxia & malo succumbens natura; nisi totis viribus obviam eant, evitanturque, quibus animarum, & dominici gregis est tradita vigilia, nova quotidie vitiorum germina suboriri necesse est, pra quibus nec pietas ad frugem pervenire possit, & uberes caterarum virtutum fructus extinguantur. Hinc vetus illa disciplina, quae vel inter Tyrannorum iras, & infesta undique edia stetit, crevitque Christiana res, paulatim obsolescere, ac de prisca illa in criminibus puniendis, quae praecipue continebatur, severitate remittere coepit, donec ad haec tempora ventum est, quibus Deus tot calamitatibus, velut sua voce, homines increpat, atque exterret, ut derelinquat impius viam suam, & convertatur, multum enim se ad ignoscendum futurum pollicetur. Qui autem iratum DEI Numen reconciliare poterimus, nisi prius, quibus illud irritavimus, vitia, ac morum corruptelas de animis sustulerimus? neque hoc aliter profectò assequemur, nisi illorum quorum fidei commissa est animarum ratio, ipsi per se omnia adeant, invisant, & quod diligentes & sapientes medici faciunt, egros, & languentes inspiciant, tub-

vulnera contrectent, Christi Domini denique vestigia consecretur, qui non modo dictis, moniisque, sed etiam salutarese idem manus curationibus adhibendo, diuturna morbo confectos, iacentesque recreabat. Utilissima autem jam usque ab Apostolicis ducta temporibus consuetudo est, spiritu Sancto leniflato, auraque Ecclesiam gubernante, ut sepe Episcopi synodales conventus indicant, & plures in commune consulant, ac quidquid est, quod ad animarum salutem, mores emendandos, divini cultus dignitatem, ac majestatem augendam conducatur, accurate, ac diligenter inquirent, & de sua, suorumque sententiam decernant. Cujus instituti ipse Christus Jesus est auctor, qui duobus aut tribus in nomine suo congregatis se adfuturum recepit; auctores ipsi Apostoli, qui id a doctore suo, ac Magistro proxime acceperant; hoc denique multis, ac frequentibus decretis, aliis in conciliis prescriptum, sancitumque renovavit postremo Sacrosancta Tridentina Synodus, que ut cetera, hoc quoque praeclare posuit, quo uno praesertim dissoluti, ac perditumores a peccandi licentia, atque impunitate ad antiquam illam innocentiam ac vivendi formam facile possent revocari.

1656.

vocari. Quod adeo salutariter & tanta cum utilitate observatum, consistere tamen sine Episcopali visitatione non potest; quam & eadem œcumenica Synodus diu neglectam, intermissamq; Spiritus sancti ductu ex superiorum Patrum, & Conciliorum autoritate restituit, quâ sine, nec quis sit animarum habitus dignosci, nec Episcopi nomen suum tueri, ac retinere queant. Dati sunt enim illi speculatores domus Israel, ut attendant sibi & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisivit. Cujus rei ab Apostolo initium factum fuisse jam tum gentium Doctor Episcopus visus est admonere cum mandatâ ab Hierosolymitano Concilio legatione defunctus, revertentes, ait, visitemus fratres per universas Civitates, in quibus predicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Nos sane ubi primum ad altissimum hunc dignitatis gradum translati sumus, quamvis gravissimas curas, ac difficultates ipsa in limine offenderimus, nihil tamen antiquius duximus (quandoquidem de supremâ hac statione discedere ac tam sollicitè commendatas oves omnes oculis perlustrare non licet) quam saltem Urbem principem, ac religionis præsidem visitare,

visitare, vel pati (quod quidem in No-
bis esset) ullas ibi in moribus vitiorum
sordes residere, unde essent à cæteris
rectè, ac piè vivendi præcepta expe-
tenda. Sed abunde laboris Nostri atq;
operis fructus ad alios etiam pertinuisse,
atq; omnibus constituisse videbitur, si Nos
in hac re vobis præcuntes sequemini,
idq; ut imitemini, licet vestra vos sponte
facturos non dubitemus, in Christi no-
mine per viscera ipsius, & misericor-
diam enixè rogamus, obtestamurque.
Visitavit enimverò, quod non sine dolore
dicere, ac meminisse possumus, tot ca-
lamitatum aspectu quotidie magis animo
obversante, visitavit Deus jam diu Ger-
maniam in virgâ, & verberibus. Ma-
gno motu concussa primùm isthic religio,
tum aliæ super alias clades illata, sa-
cra, profanâq; omnia promiscuè cædi-
bus, incendiis, ac ruinis involverunt.
Non fuit interea solum atq; integrum
vobis, quod vestri inprimis muneris est,
providere, ne effusâ profligatâque li-
centiâ, depravati mores, ac vetus illa
disciplina convelleretur, quâ unâ præ-
sertim in officio, ac Sanctissimarum le-
gum verecundiâ commissi Episcopis po-
puli continentur. Visa est non ita pri-
dem ab his malis, quibus urgebatur, eri-
gere se tantisper atque è tot miseriis
emer-

emer-

1656.

emergere Germania. Jam quod plerisque facile, ac promptum est, gregi vestro, ovibusque, prospicite, disiectas, vagasque colligite, Pastori sui quandoque vultum agnoscant, dictis assuescant, vocem sequantur. Date hoc patriæ, cui nunquam sine timore esse licebit, nisi prius vitia, qua divina clementiæ, ac benignitati obstare possunt, ex animo penitus ejiciantur. Date Nobis hoc ardentissime rogantibus, Date populorum salutis, & felicitatis, quam vobis immortalis ac sempiternam ex animo precamur, & Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Aprilis M. DC. LVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Natalis Rondinini.

à Christ.
Bernar-
do de-
missè ac-
ceptata.

Christophorus Bernardus tametsi magnam partem Pontificia monita prævenerat, excepit tamen ea pro solitâ veneratione perlibenter, & sicuti bis Episcopalem synodum quotannis, maximè verò generalem elapso proximè autumno utilissimè celebratam, lustratâque hætenus plerâque Diocesis loca, ita pari se curâ porro continuaturum, & ipsam quoque visitaturum Cathedralis respondit, acturumque ut pro viribus mentem Pontificis assequatur.

Sub-

Imposi-
tio pri-
mi lapi-
dis arcis
Coesfel-
diensis.

Subindè à visitationibus redux arcis illius, quæ sub finem æstatis anni præcedentis, uti in loco memoravimus, Coesfeldia exstrui cæpta est, portam, solidum opus, & ædificiorum principium meditabatur. Solenniore pompâ fundamentum jacturus statuit decimum sextum Kalendas Augusti. Eo die postquam musicos inter concentus sacris operatum est, & ipse & Proceres, qui invitati erant ad portæ radicem descendunt. Saxum solenni ritu à se benedictum ipse locat, sub impositâ illi ex argento laminâ cum hac inscriptione.

Inscrip-
tio.

DEO OPT. MAX. SACRVM.

DEI para Virginis, ac Calitum omnium honori,
& inprimis S. LUDGERI.

Monasteriensium Episcoporum omnium uti Ordine,
Sic Sanctimoniam PRIMI:

Publica saluti, Ecclesie defensionis,
Subditorum tutela, patria Ornamento.
Sibi & successoribus.

In pace & bello commodum Domicilium
Arcem, atque inprimis Portam hanc

(Qua introitus salutis & pacis, terror hostium, fuga inimicorum, munimentum Christi fidelium & ostium pacificum sit, per eum, qui se ostium appellavit JESUM Christum)

Voto integerrimo condidit

Ex nobilissima Galeniorum stirpe

Col-

Celsissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus
D. CHRISTOPHORUS BERNARDUS
DEI & Apostolica sedis gratia Episcopus Mona-
steriensis, Burggravius Strombergensis S. R. I.
Princeps Dominus in Boreulo & c.

Et saxum hoc solennibus caeremoniis
Ab ipso Conditore benedictum & positum fuit.

Die 17. Julij.

Anno Virginei partus M. DC. LVI.
Cathedram Petri tenente ALEXANDRO VII.
FERDINANDO III. Augusto Imperante
Anno Conditoris in sede Monasteriensi sexto.

Quibus
presen-
tibus.

Adfuerunt & applauserunt ex omni
ordine Proceres. DD. Otto Henricus
Korff, conditus Schmising Praepositus.
Jodocus Edmundus à Brabeck Decanus.
Joannes Hermannus à Palandt Canoni-
cus Capitularis. Goswinus Droste Cano-
nicus & Bursarius Cathedralis Ecclesie
Monasteriensis. Theodorus Hermannus
à Mervelt ex Westerwinckel Cancellarius.
Burchardus Baro de Westerholt in Lem-
beck Marescallus. Hermannus de We-
sterholt Satrapa in Bocholt Colonellus.
Joannes Beveren de Twickel in Rhein-
nen & Bevergern. Heidenricus Droste
in Horstmar & Ahaus Satrapa. Theo-
dorus Philippus de Wilich ex Probsting
Colonellus. Henricus à Diepenbroeck ex
Bulleren. Joannes de Graes ex Loburg.
Her-

Hermannus Theodorus à Nagel Vice-Colonellus Aulae Praefectus. Ferdinandus à Raesfelt ex Hammeren. Stephanus Theodorus Torck ex Asbeck & Vorhelm & c. Nec non DD. Joannes Rennebohm & Everhardus Lewen Civitatis Coesfeldiensis Consules. Assistentibus & Ministrantibus suae Celsitudini Vicario in Spiritualibus Generali, & Sacellanus. Dirigente tunc Principis & Patriae arma Nobili Viro D. Joanne de Remunt Lutzenburgensi Generali Vigiliarum Praefecto. Inde transitum est ad epulas & hilaria inter tubarum ac tympanorum clangorem. A quibus nunc Viam revertamur.

Ubi delegati Monasterienses, postquam à Caesare jam auditi, multa de Principe, de Coloniensi processu haud steriles aequa satis prolocuti dicebantur, per eos Viennae dies supplicem porrexerant libellum, Cuiusmodi civitatem Monasteriensem, ut liberam & Urbem Imperialem Caesar declararet. Talem enim esse adjunctis probari citationum litteris, mediata quibus à Maximiliano Primo, Carolo declarato, & pluribus Augustis Monasterium ad publica Germania Comitibus constaret evocatum. Imponi Fiscali Imperij aulico rogant, ejus ut interventu civitas ceu immediata nunc tandem Imperio vindicetur. Quod autem ne vel ulli hominum diuntur.

Sed rejō-
num diuntur.

num constaret, Monasterium unquam in aliquo Imperij vel circulari conventu, sessione aut voto gavitum esse, seu nomen Ejus in quapiam *Recessuum* subscriptione, vel probatâ Imperij, Circularivè *Matriculâ* reperiri; sed contra potius ab immemoriali tempore, de cujus contrario nulla extaret memoria, Diœcesanas inter Civitates numeratum, imo huic ipsi *Christophoro Bernardo* ceu Principi suo publicâ inaugurationis die, exertis, erectisque ad DEUM ac superos digitis firmatam sacramento fidei jurâsse; hæc immedietatis postulatio, vigesimâ octavâ Julij à Cæsare rejecta est. Cùmque paulò post denuò instarent, causas ferendi istius decreti, si quæ forsan Cæsaris animum moverent, nolle se quidem nunc controvertere, nec ultrâ jam pro assistentia Fiscalis Cæsarem interpellare, non posse tamen vitio verti, si jus hoc immedietatis contra Episcopum & Collegium Cathedralè, velut assertos Contradictores, latius aliquando deducant ac prosequantur; illudque sibi nunc reservent. Atq; idè necessitate compulsos, pro sui juris conservatione, in præsentia protestari, precarique, id ut protocollo seu tabulis actorum inferatur, & ipsis in fidem extractus communicetur. Eâdem Cæsar constantiâ tertio Nonas Augusti decreto antè
qua-

1656.

quatrimum lato insisti, respondet, suumque Oratoribus jubet libellum reddi: superfluum arbitratus, si ad acta referretur.

Sub hac ineunte Autumno caput Mo-
nasterium invadere pestifera lues, sen-
simque per domos ac vicus serpens totam
infectura patriam credebatur; sed publica
piorum preces, & indicta Urbi supplica-
tio, qua multi e Religiosis familiis, Crucis
bajuli, ac complures cilicinis induti vesti-
bus, oculis spectantium lacrimas excutere
visi sunt, iratum Numen placaverunt. Nec
tamen ideo segnius utrinque causa Viennae
agebatur, quippe controversia super jure
praedij denuo agitari caepa erat. Hanc

Vienna
voluit *Drachterus* antiquata lite, sub Im-
perio *Rudolphi secundi* Caesaris, ab *Er-
nesto Bavaro* Electore Colonienfi, uti *Mo-
dis* agi-
nasterienfi Episcopo, contra Monasterium
tur.

Urbem olim intentata, adhuc indecisâ pen-
dente comprehendi. Quod tamen à Le-
gato Principis negabatur; occasio tamen
fuit, cur *Pragenses* ac *Viennenses* tabu-
las tantâ industriâ lustrârit Imperialis aulae
Senatus, ac tanto studio conquiescit, quid-
quid unquam controversiarum ac litium
Principes inter & Civitatem potuit requiri.
Cumque ita menses aliquot super eâ qua-
stione variis utrinque argumentis certare-
tur, post maturam omnium deliberationem
quinto Idus Decembris hanc demum tulit

V

sen-

1656.
Decre-
tum Cæ-
sari.

sententiam Imperator. Civitas jus pro-
sidijs, annexumque custodia clavium
portarum, vallorum, murorum, sym-
boli quoque seu tessera militaris, ultra
hominum, uti obtendit, memoriam pos-
sessum, firmiteribus quam ad id usque
tempus effectum, argumentis probet,
eumque in finem semestre spatium sub
penâ præclusionis extremum præfigi
si quod interea periculum in conspectum
timeatur, Principi adscitis tribus Pa-
tria Ordinibus, cognitionem istius re-
linqui, atque tunc Præfectum Militiæ
præsidium, aliâque huc spectantia ad
normam inita Schonefiliti compositionis
servantur. Quâ Cæsaris mente divulgata
utriusque partis Abligati in Westphaliâ re-
diere.

Id pro se
Mona-
sterien-
ses.

Ut quisque verò pronunciatum huius
sensem pro se interpretaretur, mirum
quantum ingenia partium fatigabat. Mo-
nasterienses inprimis possessione juris præ-
sidijs non tantum se non exutos, sed eam,
uti continuatam hætenus, ita & Civitati
quoque magis firmatam, gloriabantur, præ-
sertim cum plura extarent documenta, qui-
bus juxta quam erat injunctum, solidius
adhuc roborari posset. Adhæc non posse
Principem quidquam statuere extra peri-
culi casum; nec tunc quidem, nisi & ipsi
& omnes reliqui Principatus Ordines una
con-

convocentur. Proinde vix potuisse quidquam optatius decerni. Econtra sibi Princeps favorem adscribebat pluribus de causis. Obmotam namque à Civitate litispendentiam tacitè rejectam, & Reos olim Monasterienses, nunc Actores declaratos esse; Argumenta Civitatis visa hæcenus indubiè solida, haud satis probare. Solidiora non suppetere, quæ præfixum tamen intra semestre spatium proferri oporteret. Cognitionem periculi & necessitatis Principi adjudicatam; ad id quidem Ordinum exposci convocationem, haud tamen assensum. Attributam quoq; Præfecti Militiæ designationem. Concordiam Schoneflitanam auctoritate Cæsaris confirmatam; adeoque in petitorio juxta ac possessorio stabilitum se, postpositam Civitatem.

Et Princeps quidem explicatæ sic favore sui sententiæ, effectum tentaturus, per *Vogelium* Militiæ suæ Commissarium, *Witgenbergio* Urbani militiæ Præfecto copiam ejus facit, ac sub poenâ mandat, cum placitis concordiæ Schoneflitanæ à Cæsare jam roboratis, statuendi in Urbe Præfectum potestas Principi confirmata sit, abdicato statim munere voluntati Cæsaris morem gerat; talem enim, si quidem necessitas id postulârit, tempestivè satis à se designatum iri. Enimverò Senatus rem hanc

1656.

*E cõtra
pro se
Princeps
inter-
preta-
tur.*

*Et Wit-
tenber-
gio Pra-
fecturâ
Urbis
renun-
ciat.*

V 3

ocyus

1656.

A Mo-
nasteriē-
sibus Vo-
gelius
relega-
tur.

Et à re-
ditu in
Urbem
arceatur.

25.
C. B. &
socij
Princi-
pes de
fœdere
cum Ba-
tavis
agunt.

ocys à *Wittenbergio* ad se delatam, in
dignè ferens, *Vogelium* mox relegat, p
apparitores iussu n, cum Uxore, cum
beris Civitate exesse ante solis occasum
Hunc multi severitatem *Drachtero* ad
scribebant, quod *Viennâ* rediit, *Vierden*
halvio sub hæc defuncto, solus ferè su
Magistratum dominio possideret. Et quan
quam huic Senatorum mandato haud pa
ruit *Vogelius*, quin noctem istam & die
aliquot sequentes in Urbe moraretur, ex
perturus, quid demùm de se futurum effe
nihil tunc quidem adversi sensit; quare
verò paulò post *Coesfeldiam* evocatus
delatis iis, quæ contigerant, iussu Princ
pis in Urbem redire parat, lubuit Magi
stratui, uti singulis portarum excubiis se
riò imperatum est, redeuntem ingressu ar
cere. Quam Princeps injuriam & molestiam
tulit & confectis per *Tabellionem*, qui
præsens ea spectârat, legitimè documenta
Imperatori dolens significavit.

Sed apprimè gnarus, ipsa licet causam
sibi tota etiam adjudicetur, ejusdem alle
quando effectui maximo fore obstaculo
Remp. Batavorum; præsertim, quod ejus
opem *Monasteriensis* nunc imploraturi ab
firmarentur, *Confœderatos* ad *Rhenum*
Principes excitat, ut suos unâ Legatos *Ha-*
gam-Comitis dimittant, & oblato *Batavi-*
fœdere, impedimento cuicumque antever
tant

1656.

tant. Haud segniter sociati Principes consilium istud amplectuntur. *Christophorus Bernardus Wilichium* Chiliarcham ablegat. Qui cum reliquis jam presentibus, apud Ordines Nonis Decembris solenni ritu admissus, auditusque postquam omnium nomine innotuisse ait *Electo-ribus ac Principibus Confederatis animum Reip. in mutuum fœdus proclivem, parem illorum promptitudinem testatus, locum & tempus designari rogat, partium tractatibus opportunum.* Quæ dum fusiùs edixerat, Legati è confessu dimissi sunt; nec ante diem decimum quartum Kalend. Januarij, r spondent Ordines; *Expectari fœderis conditiones, si quidem paratas habeant; ac tunc Commissarios a se designatum iri, qui cum Legatis isthic Haga tractent.* Audito exin *Provinciarum sensu statuturos, quæ utriq; parti conducere videbuntur.*

Monasterienses interim haud satis contenti Viennensi decreto, quod parùm apud Cæsarem profecisse, ac fortè minùs profecturos se in posterum satis præviderent, memores *Hanseaticas* inter Civitates Monasterium numerari, Nicolaum *Drachterum* Syndicum & Henricum *Thor Mullenium* Tribunum plebis *Bremas, Hamburgum, Lubecam,* istarum Urbium capita, ablegant, arctiorem cum iis Societatem

Monasterienses implorant Urbes Hanseaticas.

1657.

*Ab his
remit-
tuntur
ad Ba-
tavos.*

innovaturi. Verum quod suis diffise vi-
ribus, ex ipsa fœdus Anno M. DC. XLV
cum unitis Belgarum Ordinibus instaurâ-
sent, Monasteriensibus suascre, eidem se-
petant adscribi; hoc enim cæteras inter
conditiones sancitum esse, si quæ Socia-
rum innecti desideret, promptè admissum
iri. Expeditis itaque vigesimâ Martij hujus
argumenti litteris rem totam Ordinibus
commendant. *Monasterium ex antiquio-
ribus Hanseaticarum Civitatem esse.
Annexum iis sine controversiâ jus præ-
sidiij. Id cum hodiè Monasteriensibus
immeritò controverti velit, rogatos a
se aequè Casarem ac Principem Mona-
steriensem, intactum illud relinquunt
innaxiæ Civitati. Et nunc Urbis socia-
rogatu implorare se Ordinum Reipub-
licam, ut jus præsidij, ab hominum
memoriâ possessum, aliâque privilegia
forti eorundem protectione Civitatis
vindicerentur, unâque patrocinium ser-
vât Hanseatici fœderis sanctio, & li-
bertas commerciorum. Drachtero sic
& Thormüllenio domum reversis, actutum
octavo Idus Aprilis Leoni ab Aitzema
Hanseaticorum apud Batavos Patrono, rem
suam committunt Monasterienses; curet
inter eos cum Ordinibus, diversorum Prin-
cipum tractatus, ne quid Civitas adversè
patiat. Intereâ nihilominus eisdem
Drach-*

*Apud
quos
Aitze-
ma Mo-
nasteri-
sum Pa-
tronus.*

Drachterum & Thormüllemium duodecimo Kalendas Maij expediunt, ut ipsi in Hollandiâ præsentibus studeant arctius sibi devincire Ordinum animos & Provinciarum. Jamque Hagam Procerum Hollandiæ sedem ingressi, & *Wilichio* Principis Legato frustra oblucente septimo Idus Maij admissi palam, auditique hæc ferè Ordinibus proposuerunt. *Missos se à Senatu, Populòque Monasteriensi, ut quando Monasterium Westphaliae Metropolis, inter Hanseaticas Civitates, teste Lubecâ Earum Directrice, à multis retrò seculis connumerata, inq; publicis earum conventionibus sessione ac jure suffragij hætenus gavisæ, præsentem Imperij & totius propemodum Europæ inconstantiam sollicitè perpendit, rebus suis provisura petat ad fœdus illud, quod annis superioribus inter Remp. hanc & Civitates Lubecam, Hamburgum, Brema, publico commerciorum ac jurium conservandorum bono, certis legibus innovatum est, citra tamen Imperatoris, sacrique Romani Imperij, vicinarum Rerump. Principum ac Magnatum præjudicia pariter admitti, & si quidem inter Remp. hanc & nonnullos Electores ac Principes agitata aliquamdiu confœderatio ineatur, nihil statui oblivione Civitatis perniciosum.*

Drachterus & Thormüllemius Hagam mittuntur. Eorum propositio.

1657.

304 CHRISTOPH. BERNARD.

tiosum. Fore hæc beneficia illius benevolentia, à Legatis Reip. huius, quando cum Hispano Rege Monasterij de pace tractabant, non raro commonstrata.

26.
Dohortatoria
Principis ad
Civitatem.

Utprimùm hæc intellexit Princeps, conatus eos publicam ab Imperio defectionem interpretatus, acerrimis litteris decimâ tertiâ Maij Coesfeldiæ datis Civitatem dehortatur. Audire se Monasterienses, ut ceteros tot jam annorum excessus sileat, eò nunc seduci se passos, ut non solum intra limites Imperij, operâ exauthorati à se Consiliarij nunc Syndici Civitatis Drachterj, tam juri suo superioritatis, quam Cæsaris decreto exitiosa tentare ausint; verùm etiam defuncto jam Imperatore (nam Ferdinandus Tertius Mense Aprili obierat) apud exteros, quasi fas & æquum omne in Germaniâ exularet, sacras Imperij leges, probroso magis facinore, pravarentur. Id dedecere subiectos sacramento Principi obligatos; & eâ ratione contemni Imperatoris, Romanique Imperij, & durante nunc Interregno, Vicariorum ejus, Bavari ac Saxonum Electorum authoritatem. Non posse nec velle se captis adeò temerariis indulgere, neque minùs dehortari, ut se contineant, quam admonere seriò,

ut

ut Sehonefitana compositioni, ut sententia Caesaris vivant obsequentes. Nō pareant, legibus definitum esse, quibus subditorum pervicacia titulis insigniri mereatur; & quibus tandem suppliciis etiam digna sint istiusmodi peccata, sed & ex annalibus & ipso experimento constare, quam tragicos plerūque & insperatos eventus secum trahant. Invocare se DEUM, qui cordium scrutator sit, suae testem innocentiae, si qua mala succedant, cum palam sit omnibus, eo semper animo suos se profecutum, qui Principem, qui Patrem deceat. Religione quidem prohiberi se, ne quidquam eorum, quae sibi, quae Principatui debeantur, avelli, vel eripi patiatur, sed nec animum esse vel fuisse unquam, quae Civitatis sint, infringere, quin potius semper ea ipsa pro viribus tueri. Quantumvis mota sint super jurisdictione sibi competente, alia ex altilites, nunquam tamen nec amica compositionis viam, nec iustitiae tramitem declinasse. Et vel ideo in admirationem se magis rapi, passos Monasterienses a paucis hominibus, qui sub larvâ publicae salutis pessimas animi affectiones tegant, adeo se turpiter seduci, ut eacâ quadem temeritate ad istiusmodi extrema sese effundere praesumant, quae

1657.

ab hominum memoriâ & à tempore Ana-
baptisticorum tumultuum hactenus in-
audita sint, quæq; in eum calamitatis
labyrinthum Civitatem precipitent, ut
inde, nisi subito recipiscat, non solum
difficillime erui, sed & iuste timeri
possit, ne tandem, quod avertat DEVS,
post certam sui ruinam Uxores, liberi,
posterius omnes tanta mala serius ali-
quando deplorent. Posse & debere his
diebus (quibus Jubileum seu generalem
noxarum condonationem indulserit Pon-
tifex Alexander) meditatus ea con-
siderari, ut non minus fraudibus in-
posterum, quam periculis tempestivè
antevertant.

*Ejusdem
ad Urbes
Hanseaticas ex-
probra-
toria.*

Hanseaticis dein Civitatibus ante
diem undecimum Kalendas Junij expro-
brat datam nuper favore Monasterientium
ad confœderatos Belgij Ordines commen-
dationem. Anno abhinc monitos, na
rebus Monasteriensibus se immiscerent,
spem sibi fecisse rejiciendi cuiuscunque
causa patrocini, & eò majorem, quo
certius scirent ad se neutiquam perti-
nere. Præter omnem verò expectatio-
nem nunc experiri se, Cives suos à qui-
busdam ac nominatim Gloxinio Urbis
Lubeca Syndico non solum continuato
litterarum commercio perverse anima-
tos, sed ab ipsis etiam Civitatibus, haud
dubie

dubiè privatâ quorundam utilitate inductis, non ita pridem unitis Belgarum Ordinibus commendatos esse. Varios errores, qui commendatitius istis continentur, presentem extorsisse exprobrationem. Nec enim, primum, ullas unquam litteras ab eis visas esse, quibus asserant, rogatum se non minus ac Cæsarem, ut intacta linquerentur Jura Civitati, quin potius (si Bremam demas) vix se responso dignatos Tabelarium remisisse cum scheda, tradita monitionis teste. Falsò asseri prasidij ius Hanseaticis Civitatibus annexum esse. Inter Civitates Circulorum Saxonia inferioris, Westphalia, Burgundia, imò & extra Imperij fines non unam reperiri, Hanseatici fœderis albo inscriptam; nec tamen ab hominum memoria istiusmodi ius in fraudem suorum Principum sibi unquam asseruisse. Tangi isthoc enunciato quotquot Electorum, Principum, Comitum iisdem in circulis oppida possideant vel Civitates. Imè Coesfeldiam, Warendorpium, Dulmaniam, olim Hanseaticarum membra, velut absurdum relegaturæ. Alias esse Civitates, quæ proximè Cæsari, alias, quæ Principibus subsint; pro cuiusque discrepantiâ, iura quòque discerni oportere. Sed quidquid demum id sit, se
inter

1657.

inter & Monasterienses super jure praesidii coram Caesare & supremo Imperii Dicasterio aliquandiu disceptatum, illudq; jam statutum esse, cui sine nota contumacia aut rebellionis nec possit, nec debeat Monasterium refragari. Praecipitem videri litterarum Authorem, dum summa quasi Tribunalia praevertens Judicem se faciat, & quod Principis sit, ac esse, pacti Schonestitani, ipsiusq; Caesaris sententia confirmet, ne visis quidem partium argumentis, jus praesidii, ut ab hominum memoria possessum premature aferat Civitati. Libertatem commerciorum perperam involvi, minime scilicet controversam; ea namq; mercatoribus subsidia, eamq; securitatem viis procuratam, ut nisi pertinax obstet quorundam ignavia, integro prope seculo haud opportunius fuerit tempus mercaturam exercendi. Nec istis indigere se Monitoribus, si quid eam in re publica salus postularet. Imploratam Batavorum protectionem derogare Caesaris potestati: Et hisce tamen suggestionibus excitatos adeo Monasteriensium animos, ut instituta Legatione (quod Municipali Civitati nequaquam liceat) apud Batavos foederi Hanseatico adscribi petant. Quid non inde mali nasciturum? Quoque id genus

nus

mus alia dum latius exponit, testari palam, ait, contra inceptores (nisi se corrigant) servare se opportunam sibi, cuiuscumq; damni reparationem. Considerent, ea posse redire tempora, ut amicorum egeant. Nihilominus tamen minus hortari se, si sibi, si pluribus cautum velint, ne Gloxinium suasorem audiant, sed commendationem revocent, & Monasterium remittant ad Caesaris Tribunal.

Dum variis interea libellis Drach- Resol-
terus cum suo Collega urget Hagæ Co- tio Bata-
mitis Ordinum resolutionem, quarto Ca- vorum
landas Junij hæc tandem prodit. Postu- Mona-
lata Monasteriensium spatium ad consul- steriensi-
tandum indigere. A plerisque præsen- bus data.
tium ibi Delegatorum suis jam submissa
Provinciis. Earum sensus more isthic
usitato expectari debere: ac tunc de
Monasterio ad fœdus Hanseaticum ad-
mittendo, prout publica salus exigere
videbitur, ordines promptè disposituros.

Quo lactati responso Drachterus & 27.
Thormültenius in Westphaliam abeunt, Drach-
propediem, ubi tempus deliberandi lapsum terus re-
fuerit, Hagam reverluri. Princeps disperfo dit Mo-
per vias milite redeuntes intercipere labo- nasteriū.
rat, sed per itinerum ambages dilapsi in-
columes Urbem ingressi sunt. Sub hæc
Wilichius Principis Hagæ Legatus prolixâ
oratione

1657.
 Willichij
 oratio
 ad Bata-
 vos ad-
 versus
 conata
 Mona-
 sterien-
 sum.

oratione suadere Ordinibus conatur, negotiis Monasteriensium ceu alienis ne se involvant. Dúmque Civitatis arrogantiam ac tot annorum protervitatem exaggerat, deque Sacramento Principi dicto, juratâ fide, præsidij jure, Schonefitanâ etiam concordia firmato, possessoque, Comitibus Wolbecanis Conventu Colonienfi, Cæsaris Decreto, multa differit, flagitium interpretatur, Monasterienses illicito fori competentis subterfugio ad Hanseaticas Civitates recurrere; & nunc etiam gratiam Ordinum aucupantes ab hac Rep. patrocinium quærere causæ tam insolenti. Sed uti eorum tutelam nihil præter molestias Reip. allaturam esse constaret, ita facile credi homines, qui procaciter adeò in suum Principem deliquerint, merito repulsam accepturos. Monasteriensem Principem cum vicinâ Rep. constantem semper amicitiam coluisse, velle nunc novis etiam foederibus eandem stabilire; confidere & parem in Ordinibus propensionem; atque eapropter quævis contumacium subditorum retinacula eadem promptitudine resecturos. Et verò quantam temeritatem esse, Monasterium Civitatem Principi suo subjectam Reip. huic ausam quasi præscribere leges foederis componendi. Ut autem Ordines cognoscant discrimen hanc inter, & Hanseaticas, quæ proximè Imperio subsunt; Mindam,

Mindam, Bilefeldiam, Lemgoviam, Lipstadium, Paderbornam, Brakeliam, Warburgum, Wiedenbrugū, Hammonam, Unnam, Camenam, Werlam, Sufatum, Coesfeldiam, Warendorpium, Durstenam, Duisbergam, Lennepium, Wipperfordam (ut Vesalia, Noviomagam, Embrica, aliaq; plures pariter cum Monasterio conditionis prætereantur) Civitates omnes esse prisco Hanseaticarum fœderi adnumeratas. Quas si nupero cum Lubeca, Hamburgo, Bremâ Urbibus pacto complecti velit Resp. & subducere Principum suorum potestati, relinqui prudentiæ Ordinum, quos non inde motus vel in solo Westphaliæ tractu secuturos. Proinde nomine Principis sui rogare se ab Ordinum æquitate, ut Monasterium, sin ultra opem imploret, ad eum ceu legitimum superiorem suum, aut si gravari se sentiat, ad Cæsarem & Imperium remittatur. Respondet ad hæc Monasteriensium Patronus Aitzema. *Non sine contumelia Quid ad esse Senatam arrogantia, insolentia, pro- eam re- servitatis incusari. Honestum ac lau- plicet dabile accepta à Majoribus jura, pri- Patro- vilegia, libertates more licito tueri nus Mo- Verbum Principis, quo inauguratus id- nasteri- ipsum addixerit, juramento equipollere. sum.* Cives debere Prasuli suo obedientiam, non cacam, nec secundum dominantis libidinem, sed iuxta dictamen rationis, sem-

1657.

temperatam. Jurasse fidem, sed iustitia, sed aequitati conformem. Nec minus conservare iura Civitati, quam Civitatem Principi obligatam. Id dictare verba juramenti, quae stricta interpretatione intelligi debeant. Neg, excludi posse libertatem, quam maiores, ex liberis orti Saxonibus, seu hereditatem posteris transcripserint. Ex pacto Schonesitano non convinci, sed contrahi praesidii ius, quod in Civitatem Princeps obtendit. Admissum namq, militem ex libera partium conventionne, non lege servitutis: & limitatum fuisse tempus, nimirum quadrimestre. Decreto Caesaris Cives paruisse; diversa iam Documenta, quae ius praesidii Civitati asserant, Viennam transmissa ac plura etiam missam iri; adeoq, Senatium haud subterfugere Imperij Tribunal. Fœdus Hanseaticum non prohiberi Imperij legibus, nec eius obtentum intendi Caesaris offensionem, sed tantum securitatem commerciorum, antiquorum iurium conservationem, noxiarum novitatum abrogationem, amicæq; vicinorum Societatis firmitatem. Rogare ne quid novâ confœderatione Civitati statuatur perniciosum, haud esse leges prescribere, sed damno suo precavere. Elenchum tot Civitatum Hanseaticarum frustra

frustra adduci, cum pauca ex iis inter
 socias descripta recenseantur. At verò
 Monasterium veluti Westphalia Metro-
 polim ad publicos Hanseaticarum con-
 sessus evocatam, per Legatos à saeculis
 frequentasse, ac præstitisse semper ea,
 qua communis sociarum necessitas postu-
 larit. Considerare idcirco Senatum, Po-
 pulumq; Monasteriensem, Ordines nul-
 latenus consensuros, ut ad Principem
 (in propria causâ Judicem) remittan-
 tur, sed quemadmodum Ablegatos suos
 cum omni benevolentia exceptos, di-
 missosq; gratâ memoriâ recolunt, id
 justæ petitioni & causæ æquitati porro
 delaturos, ut fœderi Hanseatico Civi-
 tatem adscribi, ejusque fructu gaudere
 patiantur.

Inter eas verborum velitationes nihil 28.
 æquè Principi curæ erat, quam ut à Mo- *Confæ-*
 nasteriensium patrocínio animos alienaret *derati*
 Batavorum, quos præ omnibus timeret *Princi-*
 adversarios, si quid contra Civitatem ipse *pes mit-*
 moliretur. Certus præ uno cum iis fœ- *tunt Ha-*
 dere non esse præsentius remedium, sicut *gam*
 jam pridem excitârat Principes secum fœ-
 deratos, ita nunc identidem urgebat, ut
 negotiosiores his diebus Legati, continua-
 tis novo fervore tractatibus, nihil non se-
 rium Reip. probarent, & isto tandem ir-
 retiti vinculo rebus Monasteriensibus adesse

X

Ordines

1657.

Legatos
suos.

Ordines prohiberentur. Ablegârat Joannes Philippus ex illustrissima Schonborniorum gente Elector Moguntinus Consiliarium suum Philippum Ottonem de Herzellis, qui & Trevirensis vices agebat. Maximilianus Henricus è Ducibus Bavariz Archipræsul & Oetovir Colonienfis Adrianum Walenburgium Adis Metropolitanæ Canonicum, ac Bockhorstium Rhenobercæ Prætorem, postea Hildefij Cancellarium; Christophorus Bernardus eundem quem ante, Wilichium Chiliarcham; Dux Neoburgicus Baronem de Virmondt. Prolatis sub mensem Martium publicæ fidei litteris, inchoatum exeunte anno proximè lapso, sed aliquantisper intermissum opus resumpturi, dum publico ritu ad Ordines post admissi sunt, hæc ferè perorârunt. Eminentissimos & Serenissimos Electores ac Principes suam de Præpotentium Ordinum pacificæ & publicæ tranquillitatis cupido animam concepisse, ut pro insigni suo ergo inclytam hanc Remp. affectu huc se miserint, Ordinibus eorum omnium & singulorum amicis, promptumque ad grata quæq; officia animum testaturos. Gratius quidem atq; optatius posse nihil Dominis suis accedere, quam si reapse consilia sua, & studia, ad conservandam, augendamq; inclyti hujus Status gloriam, & felicitatem, conferre queant,

Eorum
proposi-
tio.

queant, & hanc se eorum iussu Ordini-
 bus ex animo augurari. Ut enim
 quam fortunatissima sit hæc Resp. id sua
 plurimum interesse existimare Princi-
 pes, sicut & incolumitatem suam feli-
 citati hujus Reip. aliquid momenti ad-
 dituram. Non tantum vicinos, sed &
 gentem unam esse, unam utriq³ origi-
 nem; idem ingenium; eadem sectari
 pacis & bonorum, qua pacem sequuntur,
 studia; nullum nunc cum iis bellum, ini-
 micitiam nullam intercedere; qua Remp.
 hanc octoginta annos exercuerint ar-
 ma, & Germaniam per triginta mi-
 sere laniarint, nuper Monasterij &
 Osnaburgi ex voto Orbis Christiani po-
 sita esse. Manere quidem publicam
 hactenus tranquillitatem, eamq³ sal-
 varam ac constantem fore sperari; sed
 cum magna sit rerum humanarum vi-
 cissitudo & inconstantia, neq³ unquam
 desint, qui turbas quam pacem malint,
 utriusq³ verò inter sit, ut pax tanto la-
 bore, sumptu & sanguine parta, sarta
 tecta maneat; cumq³ is sit gentis utriusq³
 situs, tamq³ variis in locis conjuncti
 fines, ut pericula & damna unius alte-
 ram protinus afficiant, visum esse Prin-
 cipibus suis, utriusq³ bono & utilitati
 cessurum, si culta hactenus amicitia fir-
 miore quodam nexu constringatur. Ean-

1657.

dem Ordinibus sententiam, idem votum esse iam pridem testatos. Nihil autem ad consequendum hunc scopum fore securius, quam pro retinendâ pace & tuendâ utriusque partis tranquillitate, communis fœderis contra communes hostes, si qui præter expectationem futuri sint, arctius vinculum, quod nemini noxa aut damno, sed utriusque tantum partis quieti & mutuo præsidio sit contra eos qui turbare illam voluerint. Missos se, ut cum Ordinibus eâ super re tractent, eumque in finem expectari, ut Commissarij designentur. De felici exitu nolle se dubitare; & pro pace ac securitate tuendâ susceptis utringue consiliis DEUM pacis adfuturum. Orantes esse cognituros, Principibus suis nihil aliud hoc in negotio propositum, quam ut partium securitati, & utilitati singulorum quam optimè prospiciatur.

Tractatur negotium fœderis.

Tradita jam componendi fœderis capita multorum manibusolvebantur. Ferè opus visum, dum articulatim discussa, hinc explicantur, indè novis crescunt additamentis. Jamque parùm aberat, quin absolutum, perfectumque credidisses. At nutantibus primùm Zelandiâ & Frisia Provinciiis, quod confœderationem hanc Brandenburgico Electori minùs gratam opinarentur, ubi dein motâ Duci Neoburgico contro-

1657.

controversiâ *Ravensteinense* Territorium
suo Sylvæ Ducensî Præturâ situm, ejusque
superioritatem non minus, quam Megani
Comitatus, Ordines decernunt ad se per-
tinere, nec diu postea, evocatis undique
copiis, cincto obsidione Monasterio sup-
petias veniunt, Principibus Confæde-
ratorum offensam eam, ceu suam in-
terpretantibus, abrupta, sublatâque tota res
est.

Sub hæc primores Ordinum Diœcesis
Coesfeldia congregati, & in primis No-
bilitas, Principem obstantur, ut cum eâ
Monasteriensium machinationes salutem
Patriæ in discrimen adducant, liceat sibi
interpositâ autoritate suâ à consiliis tam
periculosâ Civitatem dehortari. Annuente
Christophoro Bernardo lecti sunt ex Or-
dine Equestri *Ferdinandus Baro de Morrien*
Marescallus hæreditarius, *Theo lorus Baro*
de Velen, *Satrapa Embslandiæ*, *Joannes de*
Rock Dynasta in Steinfurt & *Ferdinandus*
Nagel ex Itlingen, qui mox etiam Monaste-
rientium animos tentârunt, esserne spes
rei componendæ. Ægrè sub initium Magi-
stratûs aures impetrant. Dato demum
concordiæ tentandæ assensu, integer pro-
fertur gravaminum elenchus; quibus antè
liberari se desiderant Monasterienses, quam
ad ipsos tractatus procedatur. Interim
disceptatur de loco; *Dulmaniam* suadet

Sed ab-
ruptum
& infe-
ctum.

29.

Interpo-
sitis No-
bilitatis
in causâ
Monas-
teriensî.

A Mo-
nasterië-
sibus
protra-
cta.

X 3

Nobi-

1657.

*Comitia
Coesfel-
diensia.*

*Drach-
terus ite-
rum abit
in Hol-
landiã.*

*Tribu-
nalia
trans-
feruntur
Dulma-
niam.*

Nobilitas. Id cum Monasterienses con-
stanter renuunt, in ipsam eorum Urbem
& Aulam Principis debuit consentire. Inde
laboratur de statuendo die, sed dum Mo-
nasterienses fiduciã Batavorum cunctantur,
ipforum Procerum rogatu *Coesfeldiam*
Princeps indicit Comitia. In his profe-
runtur litteræ, quibus *Brunsvico-Lune-*
burgici Duces conjunctim omnes Principi
suadent, ob armatam Viciniam, quo pu-
blicæ securitati consulatur, durante Inter-
regno, promptam habeat militiæ ratio-
nem. Et Monasterienses quidem solito
promptiores, non minus quam Ordines
reliqui communi statim consensu probant
militis conscribendi necessitatem, & unã
præsentes isthic Nobiles commonefaciunt
futuræ compositionis, promptitudine Ci-
vitatatis explicatã. At vix dum diata hæc
finitur, *Drachterum* Oratorem suum jam
secundum in *Hollandiam* ablegant, instru-
untque, ut Confœderati Belgij Urbes adeat,
& singularum suffragia præsens exoret. Hunc
Drachterum ausum extremam Princeps te-
meritatem, & simulatam ab aliis ineundæ
concordiæ promptitudinem Nobilitas do-
lum interpretata, tractatus aliquamdiu pro-
traxit, atq; interim sacrum ac civile auli-
cum Tribunal & utriusque administratos Ci-
vitate egredi, & *Dulmaniam* transferri
jussit Princeps.

At

At verò *Mallingrotius*, à quo tempore Monasterio abfuerat, tametsi litterariâ subindè pugnâ certare, quiescere tamen visus; perspectis populi studiis, & forte per eos dies privatâ quorundam invitatione allectus, urgente cumprimis ob rerum penuriam necessitate, aleam, quam jecerat triennio antè, subire denuò tentavit. In pervigilio D. Jacobi auditur sub noctem ante portas subsistere, aditumque in Urbem postulare. Commota mox, suspensâque Civitas erat, nec pauci cum plausu ingressum præstolabantur. Senatus pacti Schoneffitani memor per binos importunum tunc aditum causatus, nec eum quidem concedere ausus, suadere, ut Civitate præteritâ aliò migret, sibi que ac suæ consulat securitati. Ergo ab iis, qui invitârant, expertus jam deserui, desperato ingressu, deploratâque humanæ conditionis inconstantiâ, ad *Ewaldum Gigantem* S. Mauritij extra muros Canonicum, Joannis Gigantis medicæ, multarumq; artium peritissimi filium, eâ nocte divertit. Interea Prætoriani, quos Princeps de itinere, deque adventu ejus jam certior emiserat, industrij vestigatores, postquam istis in ædibus virum offendunt, jussi reverenter eum habere, aperto circumstant capite, petuntque imperio Principis comitari non se gravet. Igitur postulatâ cerevisiâ, in

1657.

30.

Mallingrotius in Westphaliam redux.

Frustrâ tentat intrare Monasterium.

Capitur & duci-

X 4

Prin-

1657.
tur Ot-
tenstei-
nam.

Principis salutem ipso præeunte cum Prætorianis epotâ, *Gigantem* affatur, *Monasteriensium Annalibus*, ac posteris consignatum iri, *Domi tua* captum aliquando *Cathedralis Ecclesiæ Decanum*. Conscenso exindè equo in arcem *Ottensteinensem* abductus eo demùm die didicit, neminem ingenio ac genio nimium fidere oportere; quâ nque rarò subjecti, quales quales etiam, contra Dominantes impune obnitantur. Hoc uno felix, quod quacunque curarum ac controversiarum mole exutus, solâque Principis clementiâ ac liberalitate laute, benigneque habitus, reliquum vitæ terminarit.

31.
Vicario-
rum Im-
perij mo-
nitoria
ad Civi-
tatem.

Jamque emanarant litteræ à *Ferdinando Maria Bavaro & Joanne Georgio Secundo Saxone*, Electoribus, ceu Imperij Vicariis, ad Principis querimoniam, Senatui quintâ Junij exarata, quibus in *Monasteriensem* populum confidere se ajunt, promptè collaturum, quidquid exigere possit constans Imperij præsentis incolumitas, ita nolle arbitrari, occasione privatae litis ad alios Germaniæ aut exterarum etiam Rerump. Ordines recursurum; nihilò-tamen minùs pro Vicariatu, quem gerant, hortari se, ut quod aliàs decrevit Cæsar, effectum dent, & à peregrinæ opis ac suppeticarum sollicitatione se prorsus contineant, ne causa sint publico quietis turba-

turbamento, iisq; incommodis, quæ difficilem admittant purgationem, sed poenas post se trahant Imperij lege definitas.

Et ipse Princeps edito in vulgus libello, postquam ius praesidij multâ Legum ac furisperitorum auctoritate Principibus vindicat, & pleraque exaggerat iam enarrata, patienter hæcenus tulisse se testatur tot Monasteriensium protervias, petulantias, novitates; ac dein plura conglomerans subiungit, ausos propriâ lubidine, non Cives tantum sed & Diœcesis incolis insolitis dudum gravare exactionibus; ære alieno immensum obstringere Civitatem; pulveris tormentarij, qui ad Principatum spectaret, nupera avectioni impedimento esse; accisarum Vectigalis solutionem temeriter pernegare; in publicis, privatisq; scriptis apud Casarem, apud Imperij Tribunalia, & plures, omnis quasi immemores obligationis, debitum sibi ceu Principi honorem non habere. Ministros suos, ipsosq; Cathedrales Canonicos injuriosius tractari; imo istis diebus Adolphum Heidenricum Drostium ex Vischering Canonicum, in ipso portarum Urbis vestibulo, indignè jussum attineri, & famulatio ex equis descendere coacto, inter contumelias ad aedes Consulis deductum, auditumque, tametsi

1657.

causa iniquitatum (ereptum scilicet juveni, quo tractu Collegium Cathedrale ius dicit, illicitè venanti sclopum) modestè explicabat; obtinere tamen haud potuisse, ut herum famulus per plateas sociârit, sed illo solum dimisso, hunc cum equis Cives retinendum curâsse; aliâque id genus plura, qua specie quidem tuenda libertatis ac privilegiorum patrata civis divulget, re autem verâ pertinacem esse contumacium duntaxat animorum protervitatem, cui fatali tandem completâ periodo quandôq; succumbant, nisi meliorem adepti mentem tempestivè respiscant. Ex veterum namque monumentis liquere, singulis propè seculis seditiosam fuisse Civitatem. Visa nunc iterùm huiusmodi pericula, solâ propitiâ Numinis benignitate, prodigio non uno præmoneri. Ineensam ipso Parasceves die turrim, nitrei pulveris receptaculum, tectôque jam consumpto, solâ quorundam Religiosorum fide, mirè præservatam; fragem Civitatis ex fornicatâ turri alterâ, ipse commemorationis D. Pauli festo funditus eversâ. Et hanc & plures fulmine ab alto tactas, frequentesq; ædium deflagrationes, portenta esse, quibus Urbium excidia non rarò præmonstrata sint. Se quidem iniquè hæctenus & innocenter

nocenter convitiis Monasteriensium, Orbe propè toto, infamem audisse; causamque habuisse non unam severiora statuendi; at solâ spe melioris lactatum intermisisse. Nunc verò, cum tot experimentis lusum se videat, sperare actiones suas, si quas naturalis ratio, jura gentium, leges sacra ac profana, fas & æquum, ipsorumque præcedentium temporum exempla suggesserint, neminem non probaturum.

Sub hæc Confœderati Principes Mo- 32.
guntinus, Coloniensis, Trevirensis ac Neo-Princi-
burgicus iteratum Monasteriensis Civitatis pes con-
ad Batavos recursum edocti; quod sacram fœderati
ædem sollicitato eorum præsidio cum Re-suadent
ligionis pariter ac subjectionis discrimine obsidio-
oblatam crederent, dolerentque implorari nem Ci-
Remp. extra Imperij, suo jam capite vi-vitatis.
duati fines sitam; se verò & ipsos Imperij Vi-
carios præteriri; moræ impatientes Chri-
stophoro Bernardo suadent, ut interceptis
dum redirent, Civium Ablegatis, perduel-
lem Urbem arctissimâ obsidione cinctam,
vi ac armis ad obedientiam compellat,
subsidiario cum milite ad diem præsto se
futuros.

Ex eo Princeps animosior ad obsiden- Ad quâ
dam Urbem cuncta parat. Miles equestris omnia
ac pedestris multus legitur; tyrones in-præpa-
termiscentur Veteranis; armantur rurico-rantur.
læ;

1657.

*Drach-
terus ca-
pitur.*

*Civitas
eum
frustrà
repetit.*

*Plures
côntrà*

læ; globorum, pyrobolorum, ac machi-
narum ingentem numerum pluribus in
officinis clam fudi, fierique facit, & bel-
licum omnem sic apparatus instruit, quò
susceptâ celeriter expeditione, Civitatem
istiusmodi nihil expectantem feliciter ag-
grediarur, aut terriculamentis, aut viribus
ad obsequium adigendam. *Christophoro
Bernardo* istæc moliente, *Nicolaus
Drachterus* Hagâ-Batavorum redux, dum
præsidentiam sui, rectâ Monasterium cogitat,
in pervigilio D. Laurentij ad pontem imi-
taneum (*Glanerbruck* dictum) in eque-
strem Principis manipulum incidit, & con-
festim interceptus primùm in *Coesfeldiam*,
indè mox *Abusiam*, ac post in arcem
Ottensteinam custodiendus amandatur. Is
nuncius utprimùm postero die Civitatem
pervadit, sub alteram à meridie horam
omnes Urbis portæ ocluduntur, & *Tubi-
cen* mox expeditur *Coesfeldiam*, qui
capti liberationem exposcat. Sed hic bi-
duò post reversus frustrà id expectari do-
cet, ac præterea mandatum profert, quo
Pro-Tribunum *Benthon* ac plures in char-
tâ descriptos statim ex Urbe dimitti Prin-
ceps jubet. Verùm communi senatuscon-
sulto statutum fuit, neminem dimittere
ante restitutam *Drachtero* libertatem. Ita
præsentibus in Urbe evadendi facultas ac
spes omnis præcisa est. Erant autem
Schel-

1657.

in Urbe
attinet.

Schellius S. Mauritij Præpositus, *Mal-*
lingcrovius Cellarius, *Schorlemmerus* &
Westerholtius Canoni i Cathedralibus; post
 Pro Tribunum *Benthon* duo egregij ma-
 chinarum bellicarum Libratores; Studio-
 rum item, scholarumque alumni, quos
 inter primorum de nobilitate filij & ipsius
 Principis duo ex Fratre nepotes. Spargit
 interea rumor adventare subsidiarias Con-
 fœderatorum Principum copias; In Scho-
Princi-
nesitana arce, pagisque *Grevonia* & *Ha-*
vêckerbecka dies, noctesque pinsi assidue *paratus*
 panem, & cerevisiam coqui; in arna *ad obsi-*
 cogi rusticos; institui armilustria; *Al-*
dionem.
pham fluvium, ad trajectum in ericeto
Sentropiano, firmiore sterni ponte ac præ-
 sidio firmari: Enimvero nulli amplius du-
 bium esse potuit Urbi vim imminere. Qua-
 re & contra à Monasteriensibus arma pa-
 rari captum est, & quidquid defensionem
 favere potuit, strenuè curatum. Inprimis *Mona-*
 auctus prædiariorum numerus: cohortes *sterien-*
 duæ ad tympani motum conscriptæ, quas *sum ad*
 faciè complevit eorum concursus, qui *defensio-*
 improvisâ portarum obseratione, etiam ex *nem.*
 rusticis interclusi Urbe continebantur. Uni
 præficiunt *Staelium* equitum olim Magi-
 strum, alteri *Lepperum* Centurionem. Bi-
 næ hæ veteranorum *Wittenbergij*, mili-
 tiz Præfecti, & *Sprengeri* centuriis ad-
 junctæ, constabant numerum quadringen-
 torum

1657.

torum ferè capitum. Juventus ipsa armis ferendis apta, in duas pariter cohortes distributa. Accedente ex prævalidis duodecim cohortibus Civium numero, recensentur defensores, universim circiter septem mille. Habito decimâ nonâ Augusti delectu in Curia Civitati fidem dicunt. Et postquam in hortis suburbanis ad teli jactum everisæ sepes, dumis, portæ, viridaria, carectaque omnia, quæ in latibula valere possent, certatim amputata sunt; vimineos fasces, ac palos, operâ curruum facilè quadraginta, in Urbem importarunt. Machinæ bellicæ, ferè centum, aptis per valla locis dispositæ. Ex lustratis Canonico-rum Cathedralium & susceptorum quorundam ædibus sublatum, quidquid armorum deprehensum est. Egentioribus, ne victui quaerendo ad excubiis se subducerent, annona ex publico assignata. Horologiorum usu nocte interdictū. Deniq; objectu aggerū, & ingentium repagulorum mole, influentis in Urbem *Alpha* cursum sistunt, ut stagnans ita ante muros flumen per vicina prata latius diffusum, hostilem ex eâ parte accessum impediret.

33.
Civitas
obside-
tur.

Cūque ita dies aliquot hinc obsidendæ, indè propugnandæ Civitati utrinq; prælusum esset, S. Bernardi festâ luce Urbs obsideri cæpta est. Peditatus Moguntinus & Trevirensis sub *Lucâ Spickio*, infra *Ericetum Sentropianum* ad *Alpham*; ponè
hos

hos ad lævam Colonienſis ſub *Lansbergio*,
 tum Neoburgicus ſub *Goltſteinio*, inde
 Monasterienſis ſub *Remuntio* caſtra me-
 rantur, copiis ad Villam uſque *Judaicam*
 explicatis. Duces ij omnes erant Genera-
 les Vigiliarum Præfecti. Iſtos tegebat equi-
 tatis pars, ſub *Korffio* Colonienſi tunc Pro-
 Tribuno, reliquus verò ad alterum Urbis
 ſitum translatus; in *Hiltrup* ſub *Wam-
 boltio* Pro Tribuno Moguntinenſi; in vici-
 nis iſthic locis Trevirenſis ſub *Petro* Equi-
 tum Magiſtro; in *Nobiſkrug* ad trajectum
Weſe amnis ſub altero *Lansbergio* Pro-
 Chiliarchâ, & *Nagelio* inter Neoburgi-
 cos Equitum Ductore ſtativa fixerant.
 Omnibus hiſ præerat *Cratzius* Monaste-
 rienſium Equitum Tribunus, cui parebant
 etiam, quotquot ex eodem Urbis latere
 caſtra poſuerant ruſticorum millia, & ere-
 ctas ad viarum divertia munititinculas inſi-
 debant; quiſque miles ſanctorum *Ægidij*,
Ludgeri, *Servatij*, *Mauritij* & *Salvatoris*
 ſeu *Herſtianam* portas obſervabat. Ob-
 ſidentium novem mille crediti ſunt, nec
 eum unquam numerum exceſſiſſe.

Alterâ poſt cinctam ſic Urbem die, *Princi-*
Tubicinem denuò mittit Princeps, qui *pis po-*
 poſtulata nuper quorundam ex Urbe di-*ſtulata.*
 miſſionem repetit, ac deinde ſciſcitatur,
 ſintne parati Monasterienſes Principem
 ſuum cum aulico Comitatu & militari præ-
 fidio

1657.

*Monasterien-
sium re-
sponsio.**Eruptio
prima.**Monasterien-
ses no-
vos ablegat
in Hollan-
diam.**34.
Civitas
machini-
nis infe-
statur.*

sidio statim recipere. At prompti respon-
dent neminem antè dimissum iri, quam
Drachterus Urbis Syndicus restitutus sit
pristinæ libertati; super jure præsidij litem
in supremo Imperij Dicalterio indecisam
pendere, eius terminationem utrique parti
patienter expectandam esse. Egressi postridiè
è porta Beatae Virginis & vicinâ (à Villa
Judæorum nuncupata) Civium, adoles-
centum & militum nonnulli ab Equitatu
isthic excubante mox cinguntur, nec tam-
etsi strenuè se defendebant Urbani, à peri-
culo aberant, donec *Wutenbergio* expe-
dita cum manu accurrente, aliique super
alios in subsidium utrinque venientibus
post acre certamen, sub præsidio tormen-
torum feliciùs in Urbem reducuntur. Dum
fodiendis ad Urbem accessibus & erigendis
machinarum suggestibus obsidentes biduum
occupantur, Urbs *Nienhusium* & *Kanne-
gieterum* Senatores in Hollandiam ablegat,
à Batavorum Rep. ceu Hanseaticarum pro-
tectrice, suppetias exoratum.

Sextus & vigesimus Augusti dies
erat, quo sub auroram ingens adeò è
machinis globorum ac pyrobolorum ob-
fessis incubuit tempestas, ut quatesacta tam
horribili fragore Civitas, brevissimo tem-
pore portam Beatae Virginis, ac confines
illi sacras, profanasque ædes attonita spe-
ctarit miserabili strage devastatas. Dumq;
laxatis

laxatis continuè tormentis frangere suggestus obsessi contra nituntur, reboantium tot machinarum stridor, quaquaversum cælum, terramque implebat. Die proxima & deinceps pyroboli successerunt, qui quocumq; missi, in templorum, domuum, horreorum ruinas, ignes, flammæ & incendia crepuère. Hanc inter primos calamitatem senserunt *Ædes Equitum S. Georgii Teutonicorum*; & *Vestales Ægidiana*, quas pilarum sævitia tecta, murisque *Cænobij* continuè terebrantium, statim mutare sedem & in adversâ Civitatis parte apud *Nyssingianas* tantisper eligere tutiorem coegit.

Civitate militari isthoc fervore triduo *Nova* jam incessanter agitâ, insueto Princeps *Principis* tonitruum istorum fragore territos Cives, *pis potulata.* motosque præsentem hominum, ædium ac templorum miserabili ruinâ, existimans animos posuisse, *Tubicinam* mittit, ac litteras, quibus ad maturam Cives deditiorem hortatur, ni pati velint diriora; molestias enim hæctenus visas paternæ tantum commonitionis indicia fuisse. Verum *Monasterien-* *sterien-* *sium re-* *sponsio.* *Monasterientes* sui tenaces propositi, confisos se respondent, si porro impetantur, tam justæ defensionis nequaquam defore, ipso hucusq; experimento propitium Numen. Ne verò Princeps parvi æstimet illatum hæctenus Civitati damnum, adjungunt

1657.

*Conti-
nuant
infesta-
tionem
obsiden-
tes.*

*Obsessi
firmant
se ma-
gis.*

gunt quorundam Ecclesiasticorum, & ipsius
S. *Agidij* Antistitæ lamenta, sortem suam
adeò miseram deploratum. Dimisso sic
Tubicine, vixque ad castra digressio, hor-
rendum mox è tribus suggestibus iterum
tormenta mugiant non modicâ multorum
clade. Id dum continuatur diebus post
secutis, Monasterienses haud minùs ferian-
tur. Ingens vis pyrii pulveris inter SS. *Agi-
dij* & *Ludgeri* portas aservabatur, loco vir-
satis tuto. Ithuc pyrobolis collimare ob-
sidentes dum vident, ope Religiosorum ad
ædem summam transferunt, inque cellâ
sub alterâ turrium fornicatâ tutius ponunt.
Sub hæc foris plures eriguntur suggestas,
è quibus propugnaculum ad portam Beate
Virginis & alterum à *novo opere* nuncu-
patum opportunè deijci posset, atque ita
via Iterni fortalitio S. Joannis invadendo.
Id intra hæc propugnacula extra vallum &
fossas ita situm erat, ut utrumque latera
ejus tegerent, & minorum etiam scloporum
beneficio facillè propulsarent hostilem
quemcûq; incursum. Huc derivari mi-
litum accellius notant; ut nudato utriusque
propugnaculi vallo irruptio facilior ador-
netur. Occupato namque hoc fortalitio,
tormentisque infesso, difficile videbatur
& stationem in vallis continuare, & fossa-
rum impletionem impedire. Quare noctes
illi ac dies aliquot insumpsere muniendo.

Dilina-

Distinctis tribus foveis ac vallis sectum,
 palisque, sudibusque obfirmant, ut visum
 jam ex uno triplex munimentum, non
 nisi per partes invadi posse & occupari
 Jactis dein cuniculis effodiunt eam lateris
 partem, in quam prima hostis incurtio
 timebatur. Denique promptissimos mi-
 litum imponunt, utque volentiores essent
 ac validiores, non largiore tantum sti-
 pendio, sed & cibo, potuque animant,
 e cellis Ecclesiasticorum ac Religiosorum
 ubertim asportato. Atque illud est for-
 talitium, quod omnem demum impetun-
 stitit, & in quo velut Martis schola, pro
 palmâ terræ, ad ultimum usque obsi-
 dionis diem, adeo cruentè disputatum
 fuit, ut *asperum* postea *collem* vocitârint.
 Quò certius autem operas, accessusque
 obsidentium inturbarent, quod tor-
 mentorum parcimoniâ majorem fodiendi
 securitatem viderentur hæcenus indulgisse;
 certi nunc pulveris copiam in longum
 tempus sâffecturam, ex variis propugna-
 culis, turribus, suggestibus in obsessores
 multo quam antè vehementius detonue-
 re, ejectusque e duobus mortariis in fo-
 veas ingens lapidum imber non exiguo
 fossoribus damno fuit. Pridiè Kalenda-
 rum Septembris e stipendiariis, Civibus, *Denno*
 juventute, volo e centum quinquaginta *erum-*
 ad portam *Judefeldianam*, quo loco *punt.*

1657.

aqua minus alta erat, fossam transgressi, sabterque ripa crepidinem verius portam Beatæ Virginis tecti procedunt, inq; foveam, quæ ab aheno nomen traxerat, impetu factò, insidentes adoriuntur; erant ferè quinquaginta, plerisque trucidatis, paucis fugâ dilapsis, dum eques vicinus excubitor conglobari visus intercludere reditum parat, ligno receptui è vallis dato exiguâ suorum clade, in Urbem se receperunt. Eâ felicitate stimulati majore apparatu ac numero novam postridiè eruptionem meditantur, sed quod intentiore foris curâ rem geri notarent, consultius intermissa fuit. Cladem verò pridianam multâ pyrobolorum injectione ulci sunt obsessores, quorum sævitiâ Urbs postridiè horrendum intestabatur.

35. Emanârunt interim à *Bavaro & Saxone* Electoribus ceu Imperij Vicariis ad *Littera* Præsilem litteræ hujus argumenti. *Vicario-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *rum Im-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *perij ad* Præsilem litteræ hujus argumenti. *Princi-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *pem.* Præsilem litteræ hujus argumenti. *iam ipsum Monasterium, quam Lube-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *cam, Hamburgum, Bremam Civitates* Præsilem litteræ hujus argumenti. *pronover dehortati sint. Nunc verò* Præsilem litteræ hujus argumenti. *eam Monasterienses docuerint, Wili-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *chium Tribunalum jam ante ab ipso Prin-* Præsilem litteræ hujus argumenti. *cipe ad Batavos ablegatum fuisse, pari* Præsilem litteræ hujus argumenti. *sollicitudine inductos se quosdam e suis* Præsilem litteræ hujus argumenti. *Hagam*

1657.

Hagam amandare, ut quod per Hanseatica societatis leges sibi licere arbitrentur, consulturi securitati suæ, ad avertenda quævis pericula Reip. istius opem implorarent, simulque probarent attentatum, quod uti cum Casaris decreto pugnare, ita & valde noxium sibi esse questi sint, redeuntem scil. ex Hollandiâ Oratorem suum capi, inque custodiam duci iussum, nec etiamnum, oblatâ Civitatis cautione & ipsius Equestris Ordinis interpositione posthabitâ, libertati restitutum. Oportuisse has Monasteriensium querimonias submittere; & quoniam machinationes ea haud convenirent Casaris enunciato, cui ut Monasterienses parerent, moneri ipse ante postulârit, ideo confisos se, Oratorem Civitatis unâ cum rebus suis non modo liberum dimittat, sed & ab omni hostili copiarum conductioe & bellica quovis tentamento adversus Urbem se contineat; nec inter presentem Imperij statum, miserum satis ac periculosum, novis motibus viam sternat: Verum si quid contra Civitatem habeat, id juris ordine & secundum decreti Casarei dictamen prosequatur. Secus salutem patriæ, & si porro querela deferantur, ipsius Imperij leges sibi necessitatem imposituras, ex earum præscripto,

1657.
Ad eos
Fursten-
bergius
ablega-
tur.

Obsidio
diffici-
lis.

36.
Conven-
tus No-
bilium.

Eorum
querela.

publica quieti conservanda. At Prin-
ceps expedito postea ad Vicarios Imperij
Furstenbergio, iis actiones suas argumen-
tis probare visus est, ut illi acquieverint,
& ipse obsidionem continuârit. Hanc
difficiliorem initio reddebat pluvius per
dies multos aër; positus enim humili loco
castris id imbrium frequentia incommodi
conferebat, ut ex elatiore fossâ tentatam
pone cataractas aquam, non solum ab-
duci prohiberet; sed & miles è muniti-
unculis & accessibus aliquot ejectus, alibi
castra figere & refugere cogeretur.

Inter eam novercantis elementi ad-
versitatem nova insuper emergebat diffi-
cultas. Convenerant magno numero
Nobiles Diocesani, qui ægre admodum
intuebantur præsentem Reip. statum. Nec
privato contenti dolore, post habitam
consultationem haud dissimulant expo-
brare hujusmodi cœpta cœu Patriæ legibus
adversa, oblato Principi libello patrio qui-
dam sermone, sed hisce propè, verbis
concepto. *Recente adhuc memoriâ te-
nebis Celsissime Princeps Clementissime
Domine, Te conscio nec invita, non-
nullos ex Ordine nostro pronuper desi-
gnâsse Nos, qui simultatibus Celsitudi-
nem Tuam inter & Civitatem Monaste-
riensem componendis operam suam na-
varent. Jamque res feliciter capta*

Item

spem dederat eum propitio numine finem
 consequendi, qui Celsitudini Tuæ hono-
 rificus, Patriæ vero utilis credebatur:
 nisi in ipso statim limine ea interci-
 disent impedimenta, quæ conatus no-
 stros non solum abruptere, sed & apud
 non paucos, haud modicâ honoris no-
 stri & existimationis læsione, sinistram
 exciârunt suspicionem, sub larvâ simu-
 lata in patriam pietatis, vix aliud nos,
 quam perplexitatis ac pericula venatos
 esse. Inter hæc Celsitudo Tuæ Nobis,
 ac Urbe Monasterio, caterisque Civita-
 tibus (qui secundum & tertium consti-
 tuimus Provincia Ordinem) nec con-
 scius, nec assentientibus, in Diœcesis
 hanc peregrinum militem introduxit:
 arma ruricolis, ac maximam partem
 cateris, cibariorum, uti sunt iuvenci,
 oves, petasones, gallina, fœnum, ave-
 na, & id genus annonæ plura, curru-
 umque, equorum, ac bellici apparatus
 procuratio, non secus ac in hostico, sub
 comminatione militaris executionis im-
 perata; agricola, eorumque servi par-
 tim violentâ manu, partim inaudito,
 nec ipsis unquam belli temporibus in hæc
 terra exercito modo, militia nomen
 dare compulsi, non alium in finem,
 quam ut Civitas Monasteriensis (quæ
 tamen hætenus nec ab Augusto Casare

1657.

336 CHRISTOPH. BERNARD.

gloriosa recordationis, nec ab Electoribus Imperii Vicariis, veluti supremis Iudiciis proscripta vel condemnata sit) vi, armis, ferro, igne expugnari & subiugari posset. Cum autem primo Clementissimè Princeps & Domine, ipsum à Celsitudine Tua, ac Prædecessoribus Diocetis, adstipulante Cathedralitico Senatu non minus, quam ab Imperatoribus Romanis confirmatum Patriæ privilegium, ad cætera non solum contineat hanc verborum formulam (neque bellum, neque pacem, nec fœdera cum ullo imbibimus, aut paciscemur, sine consensu Capituli nostri Cathedralis, & reliquorum Patriæ Ordinum) sed eodem præterea cautum sit: nihil Principem adversus Nobilitatem ac Civitates ad Comitia evocari solitas tentaturum unquam, quod non jure sibi fuerit adjudicatum. Et secundò in proximis Comitibus Coesfeldia habitis expressè conclusum sit, omni novâ militum conscriptione supersederi, ac veterum tantummodo copiarum supplemento, dimidium Paræcialis contributionis, anticipatione quadam impendi oportere. Tertio quoque super controversiis inter Celsitudinem Tuam & Civitatem Monasteriensem coram Tribunali Casareo lis adhuc indecisa pendeat, ibidemque
non

non solum Civitati certus probandi terminus Imperiali decreto praefixus, sed & cognitio periculi & causa (si forsan interea necessitas exigeret, numerosius ut Urbi praesidium imponeretur) Celsitudini Tua una cum Ordinibus delata sit; Hucusque tamen de periculo huiusmodi, quantum quidem Monasterienses attinet, nihil ad aures nostras delatum aut Nobis propositum fuerit, multo minus super eo ab Ordinibus aliquid determinatum. Impulit nos rei gravitas hoc ipsum debita cum reverentia oculis Tua Celsitudinis subijcere, ut tenorem & privilegij nostri & decreti Caesaris clementissime perpendat; ac simul pro sollicitudine paternam meditatus consideret, quid non periculi, damni, mali exempli tam universa Patria, quam singuli eiusdem Status, membra & incola ex hisce motibus timere habeant; praesertim cum ex praeteritorum bellorum diuturnitate, sudor plusquam sanguineus, nec dum plane abstersus sit, & novis nunc iterum tumultibus involvantur; Monasterium Urbs prorsus deformetur; atque intra ipsius mœnia tot in utroque sexu DEO devoti, tot ades sacra, Collegia, Canonica, Nosocomia, & Nobilium Domus periclitentur; tantum sanguinis innoxii profundatur; tot viduae & orphani, quo-

1657.

rum lamenta nubes penetrant, amissos conjuges & parentes suos deplorent; tot villa, tot pradia, quae nonnulla haecenus & magna ex parte adhuc deserta sunt, magis desolentur; agrorum cultus, potior nempe patria salus interturbetur, & ipsi Nobilitati seruitiorum praestatio tam utilis, quam necessaria, adeo innocenti subtrahatur: Et quod est amplius, vicinos ac plures in hac turba-
 menta vigilanter intentos esse constet, quorum adjumento tertius quisquam cum ipsa subditorum & pesterorum omnium aeternam perniciem haud segnititer abuti posset. Quas enim calamitates post se trahere consueverit una capitis & membrorum dissenso, collisioq; hac aetate nostram (ne ex superioribus exempla repetamus) satis documentum Romanum Nobis Imperium dedit: Et adhuc hodie experimento est, potentissimum Sarmatiae Regnum, adminiculante solo Regem inter & Ordines civili dissidio, patefactis hosti externo portis, in dirissimam vastitatem & excidium sui praecipitatum. Nec unquam Bremensis Archiepiscopatus sine controversa Metropolitanorum, Canonicorum & Civium inter, alienis ad manus, inq; profani Ducis possessionem transiisset. Quantum e contra valeat concordia ac mutua fides,

UNUM

unum Confederati Belgij exemplum (ut alia omittamus) luce clarius ostendit. Hac solâ in tantam & formidabilem adeo excrevit Remp. quod ipsum abundè testatur hodie dum impressa nummis hac epigraphæ. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.

Quapropter supplices oramus, Celsitudo Tua illatum Monasteriensibus, sine præscitu, sine assensu nostro, præsens bellum confestim dissolvat; externis copiis missionem imperet; neq; justitiæ cursum in Curia Imperiali sistat; neq; Nos, neq; Monasterium aut reliquas Civitates hujus Principatus, contra firmata tam sancte privilegia & jura pristina, ullatenus contristet; sed erga Monasterienses pacificum induat animum, ut Patris in filios, ut Principis in subditos, ut Pastoris in oves; agricolis nostros ab imperatis militia laboribus ad rem rusticam, domumq; redire jubeat; hebdomadariis illis exactionibus, in quas nos non consensimus, ac violenta militum conquisitioni serio finem imponat; Nos deniq; ac nostros, publicâ totius Imperij pace, tam carè emptâ, gaudere pariter ac frui sinat. Quod si verò præter spem & expectationem hæc preces locum non inveniant, humillimè protestamur, quidquid ex eo infortunij vel
adver-

1657.

340 CHRISTOPH. BERNARD.

adversitatis, Celsitudini Tuæ & Provin-
cia huic forte contigerit inferri, inno-
xios Nos fore, nec quidquam à Nobis
pratermissum esse, quod devoto ab Or-
dine postulari t muneris obligatio; qui
Celsitudini Tuæ ab inito Principatu fi-
dem suam continuo probavit, nec pas-
sus est unquam desiderari, quidquid ce-
dere potuit in Celsitudinis Tuæ vel Dic-
cesis huius utilitatem; atq; hisce pa-
cificam Celsitudini Tuæ administratio-
nem devotissime precamur, uti

Celsitudinis Tuæ

Humillimi & Obedientissimi

Ex equestri Ordine

Ferdinandus Baro de Morrien Mar-
schallus hæreditarius.

Wilhelmus Theodorus Baro de Wendt.

Joannes à Reck.

Ferdinandus à Nagel.

Stephanus Valcke.

Engelbertus à Langen.

Joachimus Rudolphus à Bæck.

Theodorus Henricus à Bergen.

Longinus à Münster.

Joannes Henricus ab Ascheberg.

Ferdinandus à Raesfelt.

Joachimus Gilbertus Freitag.

Joannes à Graes.

Henricus Wiricus à Münster.

Joannes Henricus à Reede.

Theo-

Theodorus Henricus ab *Aseheberg*.

Wernerus *Dorth*.

Adolphus à *Nagel*.

Rembertus à *Mallingcrott*.

Ernestus Heidenricus à *Westerholt*.

Bernardus Theodorus à *Reck*.

Joannes Henricus à *Remme*.

Conradus à *Medevort*.

W. A. Comes de *Flodorff*.

Carolus Wilhelmus *Ripperda*.

Calparus Hermannus ab *Ohr*.

Joannes Conradus Fridericus *Walff*.

Stephanus Theodorus *Torck*.

Wilhelmus à *Morrien*.

Henricus ab *Haren*.

Mauritius à *Scleppegril*.

Rudolphus Lubertus à *Mönninck*.

Bernardus à *Kobrinck*.

Conradus Gerardus à *Grothaus*.

Theodorus Gisbertus à *Morrien*.

Joannes Fridericus ab *Oeffen*.

Erat fœtus is multorum opinione quò
acerbior, qualem exhibere Principibus
haud subsiditos decere arbitrabantur. Nec
decrant ipsos inter Nobiles, qui subscrip-
tionem non inviti subterfugissent, si per
ullum licuisset colorem honestatis. At
verò ut ignaviæ notam effugerent, neque
objici posset aliquandò, nec cordi fuisse
nec curæ, patriæ salutem, quam ab hisce
conatibus pendere plurimum existima-
bant,

1657.

342 CHRISTOPH. BERNARD.

bant, urgerenturque magis, movente se nunc, ut nunciabatur, Hollandorum Rep. præcuntium exemplo stimulati, quotquot hic nominantur, libellum signavere. Nemo Satraparum interstit, qui ex injunctis sibi officis jurisjurandi religionem causati, absentiam suam invidiam Principis ac Collegij Cathedralis tutius declinarent.

37.
Respon-
sum
Princi-
pis.

Princeps interim haud diu cunctatus Nobilitati respondet in hunc sensum. Nihil se adeo curasse unquam, quam ut vere paternam sollicitudine consuleret suorum tranquillitati. Concordia & quietis avidissimam fuisse semper. Nunc vero diuturnam Monasteriensium obstinatione quodammodo raptum se, ut penam hanc, tametsi acerbam, illis inferre debuerit. Nec enim spei quidquam superfuisse, ut leniore medicina Cives ad animi sanitatem reducerentur, qui præfracte adeo & contumaciter tam diu ausi repugnare. Cum potentioribus fœdera inire, militem conscribere, subditis si ratio vel necessitas ita tulerit, arma imperare, quæque isthuc pertinent ex datis à Cesare Regalibus proprium esse, & absq; omni Ordinum injuria, competere Principum potestati. Litium se inter & Monasterienses cognitionem, ad Imperatoris Tribunal delatam, Urbi amplius non prodesse; quæ posthabita
Cesa-

Cæsaris & Imperij authoritate, non sine periculo Religionis, præsumpserit implorare vires exterorum. Quibus proinde malis ut tempestive occurrat, non permissurum se, ut præsens occupanda Civitatis occasio e manibus dilaceratur. Id tamen si cum aliquorum incommodo conjunctum sit, sibi tamen nec posse, nec debere imputari; ac nihilominus curaturum, ut quam minime fiat, aut forte factum, quoad fieri potest, aliquando reparetur. Nobilium esse in unam hanc, communemq; patriæ salutem, & studia sua, & vires conferre; nec eorum animos alienari oportere ex vano metu periculi imminentis. Interea concredita sibi Ecclesia ac patriæ quietem, cura semper ac cordi futuram.

Ipsa tandem iteratis Nobilium precibus annuente, cæptam nuper interpolationem resumunt Delegati. Sub diem sextum Septembris, inter Civitatis moenia & vallum, ad D. Ludgeri portam admissi reducendæ pacis telam ordiuntur: iidem ipsi erant, qui nuper, sed *Baroni de Velen* inter hæc è vivis sublato succerant *Stephanum Valckium ex Rokel*.

Postridie Tubicen in Urbem mittitur, cum litteris Confœderatorum Principum Moguntini, Coloniensis, Trevirensis ac Ducis

Nobiles resumunt tractatus cum Urbe.

Hanc Principes Confœderatorum Ducis

1657.
federati
hortan-
tur ad
deditio-
nem.

Ducis Neoburgici; quibus illi unâ voce Civitatem hortantur, ut spontaneâ deditione majoribus damnis antevertat. Sibi enim fixum, statutumq; esse, ab Urbe non decedere, nisi in potestatem redactâ. Quocirca si obstinate pergant obsequium Principi suo pernegare, adducto mox majore copiarum numero ab invitiis extortum iri, quod volentes excusarint. Exemplum namq; statuendum uni Civitati, quod deterreat reliquas, ne praecurrentis insolentiam sequantur.

Respon-
det Civi-
tas.

Tubicine in alterum diem expectare jussu, post deductam causâ suâ aequitatem respondet Senatus mirari se, innoxia Civitati haëtenus inaudita, minus damnata vim tantam inferri, nulliusq; consciam, convictamve in Antistitem suum delicti, tractari non secus, ac si publico Judicis decreto rebellionis reâ acta esset; cum tamen omnis, quæ ab inito Schonefurano contractu cum Principe intercedit controversia, coram Caesareo Tribunali sub juris actione pendeat; ejusq; legitima decisioni Cives lubenter acquieturos, sed quæ ad nullum, præterquam supremum Imperij caput spectare dignoscatur. Quare non immerito summe dolere sibi, ita Barbarorum more relictâ iuris ac justitiæ semitâ ad arma convolutum esse. Nec tamen

tamen idcirco Cives animo deficere, aut
 minis istis territari, ut aequitati causa
 sua diffidant, quin potius vel ideo ma-
 jore fiducia & DEI bonitate stimulati,
 his quoque malis finem brevi praestolen-
 tur. Atque ita expeditum Tubicinem
 ad Concœderatos Principes remittunt.

Per idem tempus Uniti Belgij Ordi-
 nes interpositionem suam tam Principi
 offerunt quam Civitati; & quamvis Tu-
 bicen Batavus destinatas ab Ordinibus ad
 Civitatem litteras cuperet ipse non mi-
 nus quam ad Praefulem praesens transfer-
 re, prohibitus tamen pati debuit, ut post
 aliquot dies jussu Principis aliam viam in Ur-
 bem delatae sint. Aegre tulerunt negatum
 Tubicini aditum Monasterienses, & agrius
 Hollandiae Ordines, quod prius referasse
 Principem litteras etiam persuaderentur.
 Oblatam à Batavorum Rep. interpositio-
 nem grato, lubentique animo amplecti se
 respondet Civitas, Princeps vero huma-
 nis eam verbis excusavit, quod hanc ipsam
 dudum provinciam Patriae Nobilitas in se
 suscepisset, nec liceret sibi, sine confœde-
 ratorum & Imperij Principum scitu, in so-
 piendam hac controversiam admittere autho-
 ritatem exterorum. Hollandi nihilomi-
 nus eam utrobiusque admitti oportere, eoque
 sine Legationem decernunt.

Sub hac Nobilitatis delegati negotium

Z

pacis

38.

*Batavi
 offerunt
 interpo-
 sitionem.*

*Quam
 Prin-
 ceps ex-
 cusat.*

1657.

*Nobili-
tas ur-
get com-
positio-
nem.*

pacis urgent, missisq̄ in Urbem litte-
ris publicæ securitatis diem statuunt & lo-
cum, suburbanam Cathedralis Collegij
Domum *Geistam*. Nominantur è Senatu
Wittfeldius & *Keppelius* Jurisconsulti, è
domo Tribunitia *Soestius* & *Christianus*
Modersohnus, ex communitate *Buckius*
Senior, itidem Jurisperitus, qui cum de-
legatis Nobilium opus inchoarent. Nemo
horum non maluisset injunctum onus sub-
terfugere, quod scirent pleròsque de plebe
nunquam probaturos, quascùnque de-
mum cum Principe condiciones pacisce-
rentur; cum sinè Batavorum interventio-
ne, quorum ipsi auctoritatem prompti
jam admisissent, nolent statui quidquam
aut terminari; Hos enim esse Hanseaticæ
societatis protectores; conventaq; eorum-
dem interpositione pacta, firma magis ac
tuta fore. Et augebatur non parum hæc
persuasio ab epistolâ *Niehusij* his diebus
ad Urbem perlatâ, quâ Civibus ad con-
stantiam animatis certam spem faciebat
opis ex Hollandiâ propediem adfuturæ.
Is indè redux *Osnaburgi* subsistens è pro-
pinq̄uo rem Civitatis curabat, *Kannegie-
tero* intereà *Amstelodami* adhuc & *Haga-*
Comitis auxilium exorante.

39.
*Tenta-
tur por-*

Cujus expectatio dum primis diebus
negotium compositionis protrahit, por-
tam *Horstianam*, sub noctem ante ter-
tium

1657

tium & decimum Septembris stratagemate
 adoriuntur obsidentes. Erat ea à loco, quo
 Civitas oppugnabatur, ferè remotior, &
 beneficio interfluentis Alpæ quodammo-
 do secura, ut quietiùs isthic dicerentur ex-
 cubare. Sed præter repagulum unum al-
 terumve, ac pontem deciduum, sæpè nec
 attrahi solitum, nec accessu difficilem vix
 quidquam impedimenti obstabat, quo mi-
 nùs effractis, perruptisque iis valla ipsa
 ac propugnacula cum tormentis invadi,
 tenerique possent. Ex ea postquam paulo
 antè Tabellarius Hollandicus & nonnulli
 exploratores pro more emissi essent, attra-
 cto rursus ponte, portaque sollicitè obse-
 ratà; sub horam noctis secundam ducenti
 pedites, equitèsq; duce *Honerpico* ap-
 propinquant scalis, ferris, machinisque ne-
 cessariis instructi; prioris repaguli portu-
 lam admoto crepitaculo (*petardam* no-
 minant) feliciter effringunt, ponti jam
 viciniore. Sed excitati sonoris vehemen-
 tiâ qui isthic excubabant, dum arma in-
 clamant & hostem, concursantes è vicinis
 statim excubiis, è vallis & foro armati,
 miles & civis, aggressores sistunt, tormen-
 tisque in eos ac sclopis horrendum mox
 fulminantes, loco pellunt ac fugant.

Altero ab Idibus Septembris die no-
 vam propugnaculi, *Asperi Collis*, aggressi-
 onem parant. Fortè ex capto propriidie

Z 2

Oppu-
 gnatur
 viciniam
 asper
 ad
 collis.

ta Hor

stiana

sed fru-

strâ.

1657.

ad portam Horstianam Cive intellexerant
 mediam Civium partem octavâ matutinâ
 solitam è vallis ad quietem domum ab-
 scedere, & redire sub vesperum. Enim-
 verò hoc ipsum tempus opportunissimum
 rati, cuniculum sub fronte fortalitij ab
 Urbico milite infesâ suffossum accendunt.
 Sed eventu non satis prospero. Nam hu-
 mus ignariæ machinationis vi disrupta non
 paucos eorum, qui fortalitio, per tres in
 fossâ erectos ex tempore ponticulos, in-
 vadendo accincti stabant, improvisos obruit,
 vivosque contumulavit. Nec tamen ideò
 segnior *Hordeckius* Moguntinensis mili-
 tiæ ductor, suos cohortatus vallum ipse
 animosè transiit, ac nonnulli strenuè se-
 cuti, dum locum desertum vident, felici-
 ter occupatum rati, victoriam inelamant.
 Sed *Sprengerus* Urbanæ militiæ centurio
 militibus suis & Civium phalange stipatus,
 sese mox obiicit, ac progressum omnem
 silit. Exortâ isthic pugna dum aggressio-
 res aperti juxtâ, infestique non uno è
 loco destinatis ictibus à fronte, ac pariter à
 latere petuntur, stationem quam occupâ-
 rant, coacti deserere, è fortalitio se rur-
 sum proripiunt, relictis post se quatuor
 occisis & ipso Duce *Hordeckio* foedè de-
 stituto. Is multo licet vulnere saucius,
 suos continuè increpans ac revocans, ali-
 quandiu subsistit, promptior generosè mori,
 quam

*Cadit
 Hordec-
 kius.*

quam turpiter fugere; donec repudiata, quæ offerebatur, vitæ gratiâ caput sclopo trajectus occumberet. Necdum tamen omni periculo defuncta Civitas erat; collectæ mox in Castris equitum ac peditem turmæ, coronâ eam oppugnaturæ videbantur. Id utcunque distrahendis obsessorum viribus simularent, certè ad *asserum collem* seriò actum est. Ubi instructâ acie miles aggressione, pugnamque restaurabat, & machinæ supra quadraginta, pluribus è suggestibus valla, munimentaque Urbis incessanter laceſcebant, respondentibus pari festinatione ac vehementiâ obsessis, ut Urbs continuo quiescentium nunquam tormentorum fragore concussa trepidaret. Inter hæc nova fortalitij invasio urgetur curantibus rem strenuè militiæ Præfectis, qui strictis suis gladiis ad vallum transcendendum propellunt. Sed paucis inter tot mille nec fallentes scloporum ictus ad audendum animus erat. Non deerant tamen, qui tentare ausi ac sequi intrepidè præeuntes; & quamvis effuso veluti glandium nimbo obruti aut vulnerarentur, aut caderent, justâ tamen acie miles adhuc perstabat, donec ab obsessis catenæ, scrupi ac ferri scruta, in confertum agmen è machinis jacta Ordines turbarent, cogerentque stationem petere in accessibus & subter aggeres tutiorem. Ho-

*Pugna
instauratur.*

*Oppugnantes
repelluntur.*

1657.

350 CHRISTOPH. BERNARD.

*Hordec-
kij laus.*

ram propè tenuit ista oppugnatio. Pauci ex obsessis, plures ex aggressoribus perièrunt. Præ reliquis luxerunt omnes *Hordecckij* ductoris casum, qui, dum inter ambientem exercitum honori Moguntinensis militiæ datum erat facere impressionem, primas sibi obtigisse, felicitatem arbitratus præmaturè exultârat, ita posse se nunc futuro proximè Genero *Luca Spickio* Generali animum, virtutemque suam comprobare. Repertum est in perula defuncti epistolium, ad sponsam pridè exaratum, quo primam ipse sortem postridianæ aggressionis mirificè prædicabat; & eam fore occasionem aut victoriæ felicis, aut mortis non indecoræ. Altero post die missus in Urbem Tympanotriba cadaver reposcit oblato quinquaginta Imperialium lytro, at Senatores decente clausum feretro gratis reddunt. Indè Coesfeldiam asportatum apud fratrem bello Hassico isthic olim extinctum deposuerunt. Ita enim superstes ipse, si cadere se contingeret, jusserat fieri obligatâ Commilitonis fide.

40.
*Vespera
Lam-
bertina
Civitati
tristes.*

At verò obsidentes spe, conatûque suo frustrati, ferocius ignitorum missilium jactus innovant, sociorum cladem adium deflagratione compensaturi. Vesper qui divo Lamberto sacrum diem antecedebat, uti hilariorum instar festivus semper, ita nunc exitialis Civitati, funestusque fuit.

Pars

Pars Urbis, quæ intacta hucusque, neque stramen, neque lignum, & id genus incendiorum fomenta subduxerat, quasi omnis periculi secunda, pyrobolis quaquaversum impetita flammam concepit ad S. Servatij portam, in Horstianâ, Neopontanâ & D. Ægidij plateis, tot locis, tot simul domibus ardere visa. Dùmque accursantes undiq; Religiosi, & omnis sexus homines hinc felicius ignem restinguunt, alibi flammæ humanâ industriâ majores serpunt latius, aut continuatis pyrobolorum jactibus erumpunt novæ. Cùmque nemo suis jam ædibus fideret, templa & quidquid erat concamerationum, cistis, saccis, supellectilibus, quæque Vulcano erepta cupiebant, inter tumultus & lamenta cursim cernebantur compleri. Calamitas illa Civitatem totâ nocte miserè afflictam. occupatamque tenuit; ut vigiliis ac laboribus enervati, fractique obsessi non immeritò crederentur. Enim verò ea obsessores opportunitate utendum rati, cum vix dilucuerat, *asperum collem* novâ *Asper* *Collis* *iterum* *oppu-* *gnatur.* pugnatione tentant. At Cives post tot adhuc ærumnas animosiores, dum ad val-la & arma classico è turri evocantur, cater-
vatim accurrentes vim aggressorum sistunt, ac trucidatis novem, feliciter denuò repellunt.

Duo sub id tempus Tubicines à Prin-

Z 4

cipe

1657.

*Tubicen
postula-
ta Prin-
cipis de-
fert.*

cipe & Belli-Ducibus missi litteras aspor-
tant, quibus deditiois leges Urbi præ-
scribuntur. Bis mille præfidiarios admit-
tat; Præfectum militiæ exauthoret; cla-
ves ad unam portam ac symbolum militare
Principi cedat; electio Senatorum post
hac sola sit penes Principem, sublatâ per-
petuò Tribunalium ac Tribuum potestate;
pro belli denique impensis ducenta Impe-
rialium dalerorum millia numerentur. Nisi
in has protinus condiciones descendat, mi-
litari Belliduces stylo ferrum, ignem, exi-
tium, & hæc multò quam antè diriora com-
minantur. At sub vesperum accedens No-
bilitatis Orator mitiora defert, ac simul,
ne deliberationem turbent arma, conces-
sas Nobilium rogata viginti & quatuor ho-
rarum inducias. Postero die post habitam
in Curiâ consultationem vix aliud statutum,
quam salvâ privilegiorum ac jurium liber-
tate modicum præsidium ad tempus admitti
posse, cæterum pactis Schoneffitanis stan-
dum, ac Cæsaris Decreto. Et tamen lapsò
necdum induciarum spatio, dum obsidentium
labores obsessi conantur impedire, ruptis
statim induciis, Urbs iterum terribili ja-
culatione quateretur, hodiernam tamen
resolutionem mirè confirmavit redux ex

*Mitiora
Nobili-
tas.*

18. Sept.

*Et gra-
tiora
Batavi.*

Hollandia Tabellarius. Designatos nempe
ab eâ Rep. Legatos quatuor, qui propediem
adfuturi concordiam cum Principe & Ci-
vitate,

vitare tentent, urgeantque. Quod si à Principe eos iterum rejici contingeret, deliberatum Hollandis justo exercitu cinctam Urbem liberare, aut præsidio majore firmatam, adversus quemcunque impetum tueri.

Verum Confoederati Principes, cum machinis tantum quati Urbem, ignibusque deformari, solam *asperis collis* munitiunculam impugnari, defendique, interque eruptiones nunc pellere, nunc pelli tantum obsessos informantur, protractam tot hebdomades unius, & hujus quidem Civitatis obsidionem, probrum interpretati, haud omittunt moram hanc ceu temporis jacturam, segnitiamque suis exprobrare. Sed hi nimiam gerendæ rei facilitate ostentatâ lufos se, & paucitatem copiarum, ac Civium obstinationem causati, haud difficulter veniam meruerunt. Principes igitur existimationis suæ interesse certi, ne deesse viderentur, Duce *Clarissio* novas mille armatorum suppetias mittunt; quodque Hollandorum mentem docti, ex ea parte, adversa subtimescerent, serio monent militiæ suæ Præfectos, intentiore curâ rem agant; ac nihilominus tentandis iterum Obsessorum animis alteras *Monasteriensibus* litteras scribunt. *Animo sanè bene volo & ipsius Urbis saluti consulere volentes hortatos semper, ut legitimo ad Civitatem.*

41.

Confæderati Principes moram exprobrat Ducibus.

Plures copias submitunt.

Scribunt iterum Prin-

1657. Principi suo fidem obedientiamque debitam prestarent, praesidiumque non importunum, sed tolerabile Civibus, imponi sibi paterentur. Verum aures salutaribus adeo monitis hucusque obtusae, animumque pertinacem incepta adversus Herum contumaciam obdurasse. Facili sic negotio fieri posse, ut dum privilegia, juribusque uti volunt, quibus non debeant, forte exuantur iis, quae non debeantur. Sed cum adhuc omni Civitatem periculo, tumultuque exemptam, & exitium quodcumque tam à Civibus, quam toto Principatu Monasteriensi procul remotum velint, eadem benevolentiam adactos iterato monere, ne immerenti saltem sexui, uxoribus, prolibusque longiori obstinatione malum gravius arcessant, sed praesidium haud grave, nec indecorum, non coacti sed excipiant volentes. Fide Principum cautos se, ne quid contra leges, quibus illi recte vivant, Praesul agat; ipsosque si quid jure aliquando obtineant Cives, hoc quaticumque obsequio nequaquam amissuros. Quod si vero contra spem bene consulentibus parentes esse nolint, DEUM hominesque testari innoxios se fore, quidquid porro damni eventurum sit. Exercitum enim Urbis obsessorem extrema tentaturum, atque ita serio iussum esse.

Hæc

Hæc eadem, ut nihil non serium videretur, ab ipso Electoris Moguntini Legato, qui per eos dies cum authoritate interponendi missus haud procul ab Urbe erat, Civium delegati coram audiêrunt. Is sub initium vehementius in Civitatem in-
 vectus, quæ postposito non solum Principis sui, sed & DEI honore, ipsâque religione Catholicâ majore (nescius) pertinaciâ, an levitate templa, scholas, sacra ipsa cum fœdere Hollandis obtulisset; postquam à Consule *Timmerscheidio* contra asserente de religione ne quidem cogitatum esse, ac fœdus ipsum Hanseaticæ societati permissum, nullâ Imperij lege reprobari, longâ oratione didicisset, mitior factus, ut præsidium admitteret Civitas, cederetque Principi tesseram militarem, consultandi tempus dedit.

Jamque advenerant plures à Confœderatis copiarum auxiliares cum majore bello apparatu. Et quia peritiores dudum suaserant, si quidem captam Urbem vellet Princeps, oportere pluribus eam, & quibus potissimum habitetur locis oppugnari, ex alterâ nunc etiam Civitatis parte adversus portam *Horstianam* castra posuerunt. His impositus est *Lucas Spickius* Moguntinensis militiæ Dux. Id nonnulli vel eò consultiùs jam pridem judicârunt, quod inter hunc & *Golsteinium* copiarum Neoburgici

1657.

Moguntinus ad Urbem Legatum mittit.

42.

Urbs ex alterâ etiam parte oppugnari capta.

Duce Spickio.

gici

1657.

gici Ducem, ab ipso statim obsidionis initio, haud satis convenitet. Ægrius quippè habebat *Spickium*, quod Princeps *Golsteinio* uteretur familiarius, cùmque in re gerendâ passim sibi præhaberet. Sed metati jam Castra molendinum, quod erat Nobilium de *Bischooping*, admoto sub noctem igne exurunt, ut molario colli tormenta, mortariâque imponant. Ex his deinceps in valla, templa, domos fervore ac fragore immani vibratum est. Alteram quòque ad S. Mauritij, juxtâ primum viæ divortium, munitionem erexere, & observandæ isthic portæ, & tormentis pariter sustinendis aptam.

*Batavis
se mo-
venti-
bus.*

Dum verò è suggestibus, vallis, propugnaculis, turribus citra sacrorum, profanorûnque discrimen magno utrinque machinarum furore debacchantur, isthinc subindè flammæ excitant, hinc restinguunt, actos inter cuniculos, irruptiones, velitationes, occidunt, occidunturque, solo vulnerum, cædium, calamitatum incremento, movere se Batavi nunciantur.

*Compo-
sitio a
Nobili-
bus ur-
getur.*

Princeps isthic motibus Hollandorum, hic potiundæ Urbi intentus, operâ Nobilitatis, majore nunc curâ compositionem urget, ut in quas Urbs ante descenderet conditiones, eas prudenter ipse, si forsan à Batavis premeretur, posthabitâ eorum authoritate statim amplecti posset.

Able-

1657.

Ablegaverant Confœderati Belgij Ordines è gremio suo *Henricum de Capelle* Consulem Zutphanientem, *Abrahamum de Beveren* Ex-Consulem Dordracenum, *Rudolphum de Langen* Consulem Campanensem, quibus è Concilio suo adjunxerant *Jacobum ab Hoge*. Jamque Zutphaniam ingressi, misso Tubicine adventum Principi significarant. Is toto obfidionis tempore in Castro *Broeck* moratus, quam primum appropinquare Ablegatos certior fit, *Abusiam* proficiscitur, ut è via aditum in Urbem divertat, evitetque oblatam interpositionem.

43
Legatio
Batavorum.

Quinto nonas Octobris egressi *Zutphaniâ*, postquam *Borculoæ* pransi sunt, sub crepusculum appulsi *Vredenam* ab Antistita loci per aulæ suæ Præfectum *Henricum de Spittael* Satrapam *Eltinensem* perhumanè ad cœnam invitantur. Erat hæc ex Comitibus de *Salm & Reifferscheid* *Maria Sophia*, *Eltinensis* pariter & *Borghorstenis* Abbatissa, quæ post varia præclarè fundata, ordinatâque, dirutam à seculo Ecclesiam *Eltinensem* ære proprio restauravit, & condito postea testamento, cum immortalis nominis gloria ornavit, dotavit, hæredem instituit, ineq; supremæ voluntatis suæ creavit Executorem. Legati *Abusiam* postridiè digressi cœnâq; ex itineris lassitudine excusatâ, die quintâ *Abusie à Prin-*
Octo-

Hi Zutphaniâ
Vredenam.

Abusie
à Prin-

Octo-

1657. Octobris à Principe audiuntur. Summa
cipe au- verborum erat. Dolenter intellexisse
diuntur. Confederatarum Provinciarum Ordines
 semina dissensionis inter Celsitudinem
 suam & Civitatem Monasteriensem eo
 excrevisse, ut ad hostilitatem nunc &
 arma deventum sit. Esse hoc opus pe-
 riculis plenum, quod apud subitos, à
 diuturni belli jugo, vix hactenus re-
 spirantes, non solum calamitates & ex-
 cidium post se trahere, sed & vicinos
 etiam volentes nolentes ita posset in-
 volvere, ut pax Christiana tam care
 empti, & unius DEI beneficio data,
 facili sic negotio pessum iret. Ponde-
 rantibus animo verè sincero & publica
 quietis percupido rem tam arduam, si-
 mulq; vicinorum salutis ac libertatis com-
 merciorum intentis, post concordia ten-
 tamen, presentius medium non occur-
 risse, quò malis hisce medela adferri &
 hac ipsa belli scintilla in cinere sopiri
 posset. Ideo rufos se quæcunq; conferre
 officia simultatibus istiusmodi compo-
 nendis, quæ mera sint commerciorum,
 unius Reip. nervi, turbamenta. Non
 diffidere se, quin Celsitudo sua unà cum
 Ordinibus sentiat viam hanc longè
 æquiores, & Christiano digniores esse,
 quam illam armorum vim, & innoxiam
 humani sanguinis profusionem. Præter-
 quam

quam quod exitus plerumque incertos esse tam huius aetatis, quam praecedentium seculorum exempla Celsitudini suae apprimè nota luculenter probent. Nec posse dubitari, quin hanc Reip. ceu vicina, ceu amica intentionem Celsitudo sua laudet, testeturque. Eiusdem Ablegatis, oblatum huiusmodi interpositionem ratam gratamque esse, ac pariter armistitium imperet, quo maiore fructu ac securitate opus tam pium conficiatur. Nec aliò propendere Celsitudinis suae animum, quam si Monasterienses mitiore viâ ad debitam subiectionem redigantur, ipsas testes esse posteriores litteras Ordinibus destinatas. Se quod attinet, omne studium, laboremque promptè impensuros causa tam salutari, qua serviet promovenda DEI gloria, avertendis tot animarum, corporumque incommodis, conservanda commerciorum libertati, salutique subditorum utriusque partis procuranda. Quidquid ab auctoritate partibus non implicitè desiderari possit, nec aliud, se fideliter praestituros. Fusos esse, haec primum officia sua Celsitudini, dein Monasteriensibus deferre, apud hos quoque suam sic operam collocaturos, ut tam noxia simulcatos DEI gratiâ brevi sopiantur. Respondet Princeps. Testatum de tumultu pax re-
Mona- sponso.

1657.

Monasteriensi dolorem, oblatamq; unitarum Provinciarum interpositionem gratis mereri. Sibi vero vel maximo cruciatui esse, ausos eò contumacia progredi cives suos, unde presentia mala emanarint. Testari DEUM, hominesque innocentiam suam: ac nihilominus brevi quoq; finem iis sperari. Cautum esse legibus patriæ, quoties Prasulem inter & Ordinem Diocesenum orta fuerit controversia, ad ceteros, nequam vero externos ejus compositionem pertinere. Usum hoc privilegio Equestrem Ordinem presenti dissidio manum applicasse, nec abesse procul extremam Romano se Imperio sancte obligatum, causam hanc cum periculo Diœcesis suæ, imò Westphalia, ac Germania totius conjunctam, ad Electores ac Principes Imperij detulisse, nec eos tantum ad debitam subjectionem, obsequiumq; Civitatem hortatos, sed quò certius etiam juxta leges Imperij ad præstandum id adigantur, copias auxiliares misisse, ut profecto hac in causâ nihil possit aut debeat ipsis insciis tractari. Istius prudentia esse Belgij uniti Proceres, eorumque Ablegatos, ut vel inde facile colligant, adversus patriæ & Imperij leges omnem agendi ademptam sibi potestatem, quin potius religione se trahi,

qui

1657.

qui commodum utriusque spectet, nec ausu suo temerè nunc sistat cæptam feliciter auctoritate Nobilium compositionem. Commerciorum libertatem semper cordi fuisse; ac porro etiam curaturum, ut non solum illasa maneat, sed & magno præterea incolarum bono suma incrementum. Eapropter considerare se, cum dissensio versetur inter caput & membra, nec remota spes sit illius brevi terminanda, neminem non eius aequitatis fore, ut rei se aliena non implicet, atq; ita pariter evitet quamcunque motuum occasionem. Ut omnis quoq; periculi alicujus suspicio vicinis eximatur, militem externum ab ipso statim sperata compositionis momento è patria abductum iri. Caterum quem ab inito Principatu affectum, amicitiamq; probavit semper, posthac pariter religiosè culturum, nec quidquam optatius fore, quam ut cum reliquis etiam sociatis Principibus quotidie augeatur. Precari interea DEUM, ut presentem Confederatæ Reip. felicitatem non modo 6. Octob.

Finito sermone ad epulas itum est. Sed Ablegati, quò propiores essent Monasterio, eodem adhuc die Steinfurtum pergunt Comitis sedem; dum Principis

Aa

respon-

44
Legati
abeunt
Stein-
fordiã.

1657.

responsum Hagam mittunt, indè quid porrò fieri velint, jussu Provinciarum expectaturi. At verò *Christophorus Bernardus* expedito in Hollandiam *Wilichii* *Princeps* Confœderatorum Ordinum animos occupaturus, ipse in Castrum *Broeck*, ut *Wilichii* eventum obsidionis, & qui sub id *Hagam.* eventum observabant, tractatum cum Civitate præfens curaret, festinato itinere revertit.

Jámque *Wilichius* Hagam appulerat actionum Reip. studiosus observator. Et quamvis primariarum Hollandiæ Urbium *Amstelodami* ac *Dorderaci* cunctatione persuasus, existimaret inutilem prorsus fore Legationem, idémq; Principi persuaderet, postridiè tamen Iduum Octobris noxiam fuisse credulitatem experitur. Hoc ipso die in solenni Ordinum consessu auditus, interpositionem à Principe negatam, sparsosq; sinistrè rumores excusarat, & si forte causæ à Legatis perscriptæ non suffecissent, jussum se, instructumq; qui plenius satisfaceret; ratus isthoc artificio moram trahi posse, cujus procrastinatio sub id Urbem traderet Principis potestati. Verùm Ordines, vix unquam promptiores, communi statim decreto eidem injungunt, abruptâ mox omni morâ declarare se & scripto quidem, admittatne vice Principis sui oblatam à Provinciis interpositionem, an recuset, ut vel ita beneficio indu-

Batavi
interpo-
sitionem
armatâ
decer-
nunt.

induciarum controversiam Monasterien-
sem componant, vel decernant id, quod
tam arduæ rei pondus videbitur postula-
re; simulque destinatis, ad centurias pe-
ditum quinquaginta tres, equitum septem
& quadraginta, nunciis pro imperio ju-
bent, ut ad Westphaliæ fines præsto sint,
& Duce Friderico Magno, *Silvarum ac
Rheni Comite*, in Civitatem Monasterien-
sem deducant, qui nunc *Steinfurti* mo-
rentur, Reip. Alegatos. Quòdque misso
per eos dies ab his Tubicini, sollicitatum
etiam aditum in Urbem Princeps negas-
set, Ordines injuriam interpretatos aut
magnam certè partem vel ideò maturasse
affirmabant tam præceptum decretum. Et
ne quid clam agere viderentur, Confæ-
deratis Principibus Moguntino, Colo-
niensi, Trevirensi, Neoburgico, & ipsi
Christophoro Bernardo mentem suam
aperiunt expeditis eadem festinatione lit-
teris in hunc sensum. *Haud potuisse Id Prin-*
dubitari, quin oblatam animo tam sin-
cero, & erga publicam salutem, ac Confæ-
tranquillitatem vicinorum, quorum com-
deratis mada non uno nomine etiam sua sint, denun-
verè Christiano authoritatis sua inter-
ciant. positionem non minus Præsul, quam
Civitas Monasteriensis lubentes admi-
sisent. Eam tamen ab Episcopo ita ha-
tenus evitatam esse, ut ne quidem com-

1657.

municare voluerit Ablegatis ea media,
 qua vel ipse iudicaret utilissima fini
 huic assequendo. Se vero propositi ten-
 naces, promptos adhuc, paratosq; con-
 ferre, quidquid conducere possit publica
 quieti restauranda. Eapropter injun-
 xisse Ablegatis, ut Monasterium ipsi
 intrent, animos Senatorum, Civiumq;
 presentia sua & opportunis rationibus
 disposituri. Nolle se quidem dubitare,
 quin securum iis aditum, exitumque
 Praesul sollicitè curet, esse tamen pru-
 dentia Ablegantium & ipsarum obser-
 vantiam nationum praecavere, ne Le-
 gati exponantur periculo alicujus inso-
 lentia militaris; expertos enim scire
 in hoc etiam contra Principum inten-
 tionem non raro excedi; ideoq; con-
 sultius visum, si congruo militum co-
 mitatu deducantur. Oportuisse hac
 eum in finem significare, ut singuli in-
 tentionem tam piam docti, Praefectis mi-
 litia, qua circa Monasterium agit, se-
 rio imperent, ne quid adventante mi-
 lite Batavo vel a sinistrè suspicantibus,
 vel ab ignavis peccetur. Sicut enim
 nec subditum, nec militem Episcopi,
 neq; copias auxiliares vel minimum of-
 fensas velint, ita summe dolituros, si
 quid Ablegatis adversi vel eorum comi-
 tatus illatum, traheret post se majoris
 incom-

incommodi necessitatem. Certos se, curaturos non minus Electores ac Principes, ut his omnibus antevertatur, quam laboraturus omni studio Provincias, ut presentes Antistitem inter & Civitatem controversia ad legem equitatis & satisfactionem partium componantur.

Princeps horum omnium sat gnarus, 45.
 animo tamen declinandi Batavorum interpositionem obfirmatus, maluit quampræve-
 cunque sine iis cum Civitate concordiam, nit.
 quam eorum interventione semel admittendam sternere, qualem occurrente post-
 hac quolibet etiam dissidio amplecti semper oporteret. Dies erat septima post
 decimam Octobris, quâ conventa jam ante deditionis capita placere sibi, & hoc
 ipso etiam die ab armis cessari posse respondet Nobilium Delegatis. Nec ij diu Et con-
 cunctati communicatâ statim cum Civium ventans
 Apolectis Principis sui mente mox indu- Urbis
 cias paciscuntur, dato sub quartam po- dedi-
 meridianam pulsû majoris in Cathedrali tionem
 campanæ, armistitij signo, prodromo pa- admit-
 tis. Quam licet inquietiores nonnulli rit.
 perfectam nollent sine præsentia Hollan-
 dorum, prudentiorum tamen calculo Nobilitatis honori id datum, ut seclusis Ba-
 tavis, sublatâque omni simultate con-
 cordiâ biduano tractatu his demùm con-
 ditio-

1657.
Capita
deditio-
nis, seu
compo-
sitionis
Geista-
na.

ditionibus firmata sit. Præteritorum quo-
rumcūq; excessuum sit generalis utriusq;
condonatio & oblivio perpetua, excepto
prorsus nemine, cuiuscūq; demum Or-
dinis, gradusq; fuerit, sed incluso no-
minatim Wittenbergio Protribuno ac
Drachtero Civitatis Oratore. Captivi
omnes dimittantur, & qui ex his mi-
litiæ nomen dederint, hac eadem ni-
hilominus amnestiâ gaudeant. Miles
externus abducatur, Diœcesanus ad sua
rursus præsidia, rustici verò domum
remittantur. Civitas ex Urbano mi-
lite trecentos continuet, aliatque suo
sumptu ad futurum proximè comitium
vel Novembrem usque. Hi (salvâ ta-
men lito) non minus Principi & Ordini-
bus, Patriæ quam Civitati sacramentum
dicant. Trecentis hisce ex militiâ Prin-
cipis pedites quingenti adjungantur,
qui in quatuor divisi cohortes pa-
rem cæteris fidem jurent. Hospitent
quidem omnes in Urbe, at stipendia
mensrua, servitia, ligna ex communi
patriæ arario procurentur. De conti-
nuando in Urbe præsidio proximo tra-
ctetur comitiis. Quoad cognitionem
periculi & necessitatis stetur Casari de-
creto, quod nonâ Decembris Anni 1656
latum est. Supra octingentos jam præ-
sidiarios, equites, peditesque Prætoriani

cum

cum Principe semper in Urbe hospiten-
tur. Nominatus à Principe ac devotè
admissus Urbis Gubernator Generalis Vi-
giliarum Magister Joannes Remuntius,
nobilis viri verbo, Civitati fidem fa-
ciat, nihil adversum privilegia aut
iura ejus tentaturum se unquam, sed
communi Principis, Patria & Civium
bono pari fide ac curâ semper eam tui-
turum. Quod si Remuntio humanitus
quid contingat, aut necessitas seu ratio
aliquam postulet mutationem, nemo al-
ter, quam Senatu conscio ac consentiente
præsidio Civitatis præficiatur. Et is
non secus ac quoties miles mutatus fue-
rit, innovet datam fidem. Symbolum
militare Princeps & successores si præ-
sentes Urbi interfuerint, designent
Consuli, & hic militia Præsecto. Ab-
sente verò Principe Præsectus à Consule
tesserâ imbuatur. Lis de clavibus por-
tarum Caesaris decisioni submissa esto.
Nihilò tamen minùs, quoties Principi
lubuerit, porta Civitatis referentur &
debitâ cum veneratione Præsul excipia-
tur. Libertates, iura, privilegia, con-
suetudines Civitatis tueatur Princeps.
Cives contra fideliter, firmiterque in-
sistant juramento sub inaugurationem
præsctito. Quacûnque his capitibus con-
tenta non sint, secundum leges pactio-

1657.

*nis Schonesbitana ordinentur; singula tamen sic explicata velint, ut litium cursus, quæ sub Iudice sint, per adu-
cta nihil patiatur. Deditioem ita pa-
ctam signant ac muniunt sigillis in Ca-
stro Zur Geist XII. Kalendas Novemb.
Christophorus Bernardus, Collegium
Cathedrale, Civitas Monasteriensis, &
qui interposuerant se Conciliatores No-
bilitatis Delegati.*

46.

*Finis
Obsidio-
nis.*

26. Sept.

Hunc finem tot calamis, tot sermo-
nibus aliorum celebrata, Monasteriensis
obsidio sortita est. In ea vix supra cen-
tum ex obsessis, longè plures ex obli-
dentibus ceciderunt. Post *Hordeckium*
præ reliquis luxere *Elmptium Burgovia*
Dynastam, militiæ *Neoburgicæ* Tribu-
num, ac nobiles viros *Morrienum* &
Dorgeloum sub Monasteriensi Principe
Centuriones, aulæque affeclas; qui factâ
impressione ad asperum collem fortiter
pugnantes gloriosè occubuerunt. Impi-
gram faucis, agrisque, ac fidam sem-
per operam in Castris probavit *Joannes*
Hofius eo tempore Principis Archiater &
Castrensis Medicus. Observatum est à
Curiosis hoc bimestri spatio, è mortariis
undecim, pyrobolorum circiter octo mil-
lia, è grandioribus quadraginta septem
machinis pilarum supra sexagies mille in
Urbem missa; è mœnibus verò tormenta
fede-

sedecies millies supra ducenties nonagies
in obsidentes explosa esse.

Enituit in his sanè Principis magna- *Princi-*
nimitas, dum inter insperatam aeris, aquæ, *pis in eâ*
terræ inclementiam & ipsi ignes parùm *virtutes.*
proficiunt, & cum adversantibus ita omni-
bus ferè elementis conspirat equestris
Ordo; Batavi variè interpellant; Mo-
nasterienses in pertinaciâ firmantur; emer-
gentibus domi, forisque tot adversis, nun-
quam tamen fractus, nunquam de redu-
cendâ Urbe desperavit. Eluxit prudentia,
dum excusatâ Batavorum interposi-
tione moras trahens, eorum isthic vires
frangit, quas necdum vidit; hîc interim
mirâ dexteritate Monasterienses premit,
ut honorificis Urbs conditionibus deda-
tur. Certè pietas non semel animos Belli-
Ducum irritavit, quando à tempestate
ignium abhorrens, viso remotè incendio,
monet, increpâtque, ut mitiùs agant;
territam enim non perditam Urbem se
velle. Indè non rarò accidit, ut à cæptis
abstinuerint machinationibus Præfecti, &
tempus datum sit Obsessis quassata dis-
jectâque securiùs reparandi. Quem postea
errorem tantò magis doluere, quantò fa-
ciliùs ante persuasi fuerant continuato
paucorum dierum terrore rem confici
posse. Cives quippè bello insuetos visâ
concivium clade, conflagratione domuum,

1657.

strage vallorum, mœniūmque, audito tam immani boantium tot continuè tormentorum tonitru, pilarūmque volitantium stridore mox animis caluros, permissurōsque omnia arbitrio Victoris.

*Civium
constan-
tia.*

At verò longè aliter evenit. Isthâc namque duritiâ magis exasperati animos ita obfirmârant, ut ædes, fortunâsque omnes, imò vitam & sanguinem facillè posthabuerint libertati, mœnibūque propugnandis. Conjuratiōe etiam factâ, ut quisquis primūm deditiōem hisceret, ceu hostis mox glaude figeretur. Quod ad eò constantiam auxit, ut nemo, tameti propriam ardere domum conspicatus, stationem unquam deseruerit; quin etiam, si juxta se concivem cadere contingeret, postquam in genua provoluti brevi precatiunculâ animam propitio Numini commendârant, alacriter mox consurrexerint

*Et inci-
tamen-
ta.*

ad arma; mutuôque hortatu se animârunt, posse disjecta facilius ædificia refici, quam amissa semel privilegia recuperari; ac præstare viduas superesse & orphanos salvâ libertate, quam conjuges ac liberos, posterōsque omnes æternâ premi servitute. Quod à peritioribus subindè ingeminatum, fortius defensionis argumentum fuit, quam mille defensores; Nec viris tantūm tot molestiarum, laborūmq; allevamento, sed & incitamento mulieribus,

bus, ut maritos ipsos fortiter ad arma stimulare, ad mœnia impellere, obire militum munia, tympanistras agere, ad valla, ad valla conclamare non raro visæ auditæq; sint. Quin & ingens puerorum phalanx, cui se imbellis virginum, matronarumq; sexus numerosè aggregabat, ductu Melchioris *Hamicholtij* Paulini Scholarchæ, quotidianâ per plateas & templa Civitatis supplicatione, qui non poterant viribus, saltem precibus communi causæ patrocinium & opem apud superos exorarent, ut nemo suis sanè partibus defuisse videatur.

At profecto nunc è Diœcesi externo 47.
 milite, mirum quam multi undiq; mor- *Concur-*
 tales è Belgio & finitimis locis illuc con- *sus ex-*
 fluxerint, alij ut munimenta castrorum, *verno-*
 complures ut cladem Civitatis contem- *rum ad*
 plerentur. Sed nulli ferè avidius circum- *contem-*
 spectabant, quam ipsi Monasterientes, qui *planda*
 ex Urbe laxatis jam non minùs animis, *opera.*
 quam portis catervatim egressi obsiden-
 tium operas, accessus, fossas, foveas,
 pontes, aggeres, suggestus, cuniculos
 suspiciebant. Omnibus verò admiratio-
 ni fuit fortalitium *asperis collis* tot fossio-
 nibus subversum, tot irruptionibus op-
 pugnatum, defensumque: in quo nimi-
 rum, veluti campo supremæ fortitudinis,
 trophæum erigere, & immortalitatem no-
 miis

1657. minis comparare, tot viri fortes, sanguinis, vitæque perditæ contenderunt.

Princeps ad Legatos Batavorum Nageliū mittit. Admisso jam licet peditum quingentorum præsidio, quod Hollandorum Legati ante discessum Monasterienses salutari crederentur, Princeps aliquot adhuc dies supersedit Civitatem ingredi, sed Wolbecam digressus expedito Steinfur-

27. Octo. tum *Nagelio* aulæ Præfecto, Legatis exponit peregrini militis abitum, patrioque ad præsidia pristina reverso, patere nunc vias ubique commerciorum libertati; demùm pro laboribus hucusque exantlatis iterat gratiarum actionem. Sed hi eodem tempore à Monasteriensibus invitati propriè Kalendarum Novembris Monasterium abeunt, ac sub quartam pomeridianam ad repagulum, Civitatis litem, ceu Caduceatores, à Consulibus excepti, inter armatum civem, militemque ac trinam tormentorum laxationem ad diversorium perhonorificè deducuntur; indè postquam à prætergressis justo ordine centuriis festâ scloporum salutatione honorati sunt, ad Curiam Urbis rhedâ devecti, in cænâ lautè, splendidèque ha-

Legati Monasterium intrant. bentur. Potior isthic sermo erat. *Confederatis solum Provinciis deberi Civitatis salutem, idque ad posterorum memoriam fastis consignatum iri.* Admissi postero die ad solennem Magistratus con-

Splendide habentur. sessum,

1657.

fessum, multa primùm dixerunt de verâ
 Confœderatorum Ordinum intentione
 sopiendarum litium & liberanda Civi-
 tatis; decretam fuisse eo fine interpo-
 sitionem, sed Episcopum nec Provin-
 ciarum, nec suâ auctoritate adduci,
 neq; precibus etiam Nobilitatis Diœces-
 na fieri potuisse, ut eam admitteret, tam-
 etsi Regnis ac variis sæpe Regionibus
 salutarem; imò nec voluisse permit-
 tere, ut cum Civitate hoc ipsum com-
 municare sibi liceret. Motos propterea
 Confœderatos Ordines ea demùm am-
 plecti media, quæ non modo utilissima
 videbantur quicquid iam restauranda, sed
 & securitati futuris etiam temporibus
 conservanda. Nunc quidem iis omni-
 bus opus haud fuisse, incredibili tamen
 lætitia intellexisse ab his qui Steinfur-
 tum ad se missi fuerint, hanc ipsam Pro-
 vinciarum resolutionem post DEUM
 causam haberi liberata Civitatis. Ve-
 nisse ideo, felicitatem hanc ex animo
 gratulatum, precatumque ut majoribus
 quotidie commodis divina bonitas faciat
 ampliorem. Senatus demissè gratias re-
 fert, & sicut collata in præsentiarum be-
 neficia cum immortalis Provinciarum lau-
 de, Cives gratâ semper memoriâ æter-
 num agnituros profitetur, ita porro ob-
 secrat, continuatâ tam insigni erga vi-
 cinam,

Eorum
 oratio.

31. Octo.

Respon-
 sio Sena-
 torum.

1657.

*Legati
rever-
tuntur
Stein-
fordiã.*

*Indè
iussi
Princi-
pem Wol-
becam in-
visunt.*

*Et demũ
abeunt
cum suis
in Hol-
landiã.*

cinam, devotãque Urbem benevolentiã in posterum quõque consulant ejus securitati. Lustratis deindè castris, munimentisq; nec pauca admirati biduõ post, quã excepti erant pompã iterũ deducti, *Steinfurtum* abeunt Hollandiam revisuri; sed isthic offendunt Concederorum Ordinum litteras, quibus jubentur Episcopo Urbis deditioem gratulari. Eã verò gratulatio importuna tunc ipsis visa, quod gratulatos jam antè Civibus, Principem postponi dedecere, & oblati *Ahusiæ* nuper officii, novã nunc adeundi necessitate liberatos se arbitrarentur. Alteram igitur jussionem prætolati, dum primæ insistent Ordines, festinato itinere *Wolbecam* discedunt. Isthic à Principe benignè excepti, ac magnificè habitati sunt. Executi quæ in mandatis habebant, ac demirati Præsulis modestiam, prudentiamque, *Steinfurtum* revertuntur. Indè rectã in Hollandiam, & ipsi, & cõpitiã, quæ in finibus Comitatus Zutphaniz subsistebant, ad sua quæque loca emigrârunt.

FINIS LIBER TERTIJ.